IOANNIS MARTINI DOCTORIS

MEDICI PARISIENSIS, PROFESSORIS REGII, ET MARIÆ Mediceæ Christianissimæ Reginæ Archiatri,

COMMENTARIUS IN LIBRUM Hippocratis de Aere, Aquis et Locis.

PARISIIS,
Apud PETRUM MENARD, iuxta terminum Pontis D. Michaëlis, ſub ſigno Boni Paſtoris.

M. DC. LX.

IOANNIS

MARTINI

DOCTORIS

MEDICI PARISIENSIS,

PROFESSORIS REGII, ET MARIÆ

Mediceæ Christianissimæ Reginæ Archiatri,

COMMENTARIVS IN LIBRVM

Hippocratis de Aere, Aquis et Locis.

PARISIIS,

Apud PETRVM MENARD, iuxta terminum Pon[tis]

D. Michaëlis, sub signo Boni Pastoris.

M. DC LX.

NOBILISSIMO
CLARISSIMOQVE VIRO D.
IACOBO COVSINOT,
IN VTROQVE REGIS CONSISTORIO Secretiori Consiliario, Archiatrorum Comiti dignissimo, & Regio Medicinæ Professori veterano.

Renatus Moreau Medicinæ Professor Regius S. P. D.

Q*VOD animum religione promissi exoluo, auctor mihi es, & fundus*, Spectatissime & Eruditissime CVSINOTE. *Nonus excurrit annus, ex quo Ioannis Martini subtilissimi & fidelissimi Hippocratis interpretis commentarios in librum περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν publici iuris feci; data fide me pleraque alia eius in diuinum Senem monimenta editurum. At nisi tuæ liberalitatis atque humanitatis foret, nulla mihi aut absoluendæ fidei, aut expungendi debiti spes alluxisset, exemplarium inopia, quæ nulla erant ad manum nisi deprauata, turpissimè exarata vel multis numeris mutilata. Quæ cum tibi innotuissent, Parente tuo τῷ μακαρίτῃ parario continuo duorum Co-*

dicum fecisti copiam, quorum alter Parentis de tota Asclepiadarum familia benemeriti manu descriptus, alter magna diligentia & labore è Lotharingia petitus fuit. Sed nec sumptibus haud pœnitendis pepercisti, quo respublica literaria hoc pretioso cimelio frueretur. Ex quo profectò non solum me singulari studio & beneficio, sed posteros omnes amplissima benignitate & gratia deuinxisti. Fecisti tamen conuenienter Eruditioni *tuæ*, Dignitati, Gloriæ. *Etenim cum sis optimis artibus & nobilissimis disciplinis imbutus atque perfectissimè instructus; ad cæteros noluisti earum diuitiarum riuulos non corriuari quarum plenissimos latices ebibisti: magnorum fluuiorum instar, qui vbi aquas plenis alueis excepere, easdem partim apertis, partim cæcis ductibus in proximos agros deponunt. Medicinam non tantùm intelligo, cuius imperium administras, & in qua* Princeps *&* Rector *fuisti designatus; sed integram philosophiam, mathesim vniuersam, Theosophiam, historiam, seriemque rerum omnium, Polymathiam, Philologiam denique, quarum circulum tam accuratè & exactè complexus es, vt si extinctæ illæ artes iacerent, & ex hominum memoria penitus deletæ, possent tua industria & opera denuo excitari & instaurari.* Dignitas *autem tua, vt in arte Medica summa est, sic etiam cum integritate, bonitate, beneficentia est coniuncta. Est quidem illa virtutis tuæ præmium, sed est quoque humanitatis comes, quæ in choro virtutum sedet: quasi necesse sit eum, qui honore & dignitate omnes antecellit, in omnes esse beneficentissimum. Neminem autem futurum puto, qui de ista liberalitate gratias non sit acturus: quod nemo sit, qui te in suprema auctoritate constitutum aspiciat cum liuore. Adscendisti ad illam per varios temporum & officiorum gradus quo modo omnis inuidia, male-*

uolentia, offensio, & omnis simultas excluditur. Ex priuato docendi munere, ad publicum & regium magna animi contentione & egregia facundia translatus fuisti: deinde vero inter Medicos regiæ familiæ electus, continuoque Liberorum Regiorum *valetudini regendæ præpositus, eum tandem locum occupasti, qui non nisi emeritis, & ab vno quoque ciuium ordine comprobatis Archiatris debetur. Exoptandum nobis esset, & votis omnibus expetendum, vt in illa Archiatrorum* Comitiua*, quam tanto merito suscepisti diutissimè consisteres. Neque enim quicquam vtilius esse potest* Regi nostro Christianissimo*, quem hactenus ab omni morborum labe immunem conseruasti: nihil acceptius* populo vniuerso*, qui salutem regiam tua salute tutam & securam ducit: nihil* eruditis hominibus *optabilius, qui & ab otio tuo litterario, & à bibliotheca plurimis Manuscriptis codicibus refertissima pleraque doctrinæ monimenta expectant. Sed illa adhuc habentur in omnium spe & expectatione: quæ nunc autem prodeunt mea quidem cura, sed tua munificentia in fructu sunt & emolumento. Nec ea debuerunt inter pretiosam & eruditam supellectilem diutius à te asseruari; ne obstructum ires luminibus* Gloriæ, *quæ tibi ad æternitatem viam parat. Eam tuo nomini conciliabit Hippocrates cui hanc lucem fœneraris. Plurimi enim ad hunc diem librum eius* περὶ ἀέρων, *&c. notis & commentariis illustrarunt; sed qui sunt eruditione, facundia, ingenij perspicacitate, iudicio, methodo & ordine Martino nostro longè inferiores. Est hic liber fœcundissimus multiplici rerum varietate plenissimus; in quo naturalis philosophia cum Astronomia & Astrologia, Cosmographia cum Ethica & Politica, Medicina denique vbique cum Philologia permixta est. Non alibi apud veteres de Aëre, de Ventis, de Aquis, de terrarum pro-*

prietatibus, de Gentium & populorum naturis potiora & veriora continentur. Et si Platonem, si Aristotelem, si Academicos & Peripateticos excutias & examines, ex hoc fonte limpidissimo ac fœcundissimo eos omnes hausisse deprehendes. Non alio libro maior Hippocrates, non alio illustrior, non alio diuinior: ex quo illum varias regiones obiuisse, longásque peregrinationes Medicinæ factitandæ gratia, & arcanorum naturæ indagandorum suscepisse constet. Cuiusmodi obseruationibus raris & admirandis per te nunc fruimur, (Vir Illustriss.) sed emendatis, explicatis, illustratis. Cum enim singula Hippocrates more suo nuda quadam, simplici & succincta breuitate delineauerit; non pauca interuenere obscura, dubia, incerta, ambigua, quibus noster Interpres lucem, splendorem, auctoritatem & dignitatem inspirauit. Est igitur quod meo omniumque Medicorum nomine, tam pretiosi muneris accepti gratias referamus, verbis quidem perexiguas, animis vero ingentes. Interim fœlicissimam & saluberrimam vitam tibi exopto; quo quidem voto epistolam obsigno. Vale. Lutetiæ è Bibliotheca nostra decimo Kalendas Octob. 1645.

EX AVTHORE FERIARVM forensium & Elogiorum illustrium togatorum Galliæ ab anno 1500.

Io. Martinus Paris. Archiatrus celeberrimus an.1604. mens. Octob. vnusque è quatuor disputationis Fonbellaquanæ arbitris an. 1600. mens. Iul.

Bellissima, heu, quàm plurimis intercidunt,
Quasi somnium, vmbraque, cum sepulchro, litteræ!
Medicæ Scholæ quis nouit astrum permicans;
Martinum, *& artem, Græca, Hebraïcaque protinus.*
Non stupuit? vrbica regna tenuit perdiu:
Quartus fuit certaminis magni arbiter,
Sedente quod Principe, tuente & Gallico
Conuentu, obiuere duo verè dispares
Athletæ, acerba ad dissidia cultus sacri,
Perronius, & Mornaïus, *Fombellaquæ?*
Accitus hinc ad regiæ valetudinis
Curam domesticam, fruitus est præmiis,
Aulæque honoribus, animo vt lubuit diu:
Domus fuit denique Camænarum omnium
Assueta statio, seu veniret Græculus,
Seuque Hebraïsmorum sciens passim aduena:
Quid hoc? obiit; & vmbra iamque nominis
Vana superest, secum intulit cuncta tumulo.

SYNOPSIS PARTIVM ET ARticulorum, in quos hic liber distribuitur.

Continet autem quatuor partes seu sectiones.

IOANNIS MAR.

IOANNIS MARTINI

DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS,

In Hippocratis librum de Aëribus, Locis, & Aquis Annotationes.

PRÆFATIO DE HIPPOCRATIS doctrina & methodo.

OMNEM exactè ſcribendi rationem ſequutus eſt Hipp. *ſtylo, modo, materia ſubiecta & methodo. Stylus* in eo duplex copioſus & conciſus. Copioſus in libris κατὰ διέξοδον, id eſt, in quibus explicato dicendi genere ſuam ſententiam exponit. Conciſũ dicendi genus continetur in libris κατ' ἀφορισμούς, in quibus per ſententias breues Medicinæ theoremata demonſtrat. Duo ſuperſunt, materia ſubiecta atque methodus. *Methodus* omnis conſiſtit in quatuor, arte, artifice, ſubiecto, fine. *Artem* inſtruit Hippocrates tribus libris, de arte, de veteri Medicina, & de præceptionibus: *Artificem* inſtruit duobus de Medico & de Medici ornatu. *Subiectum* eſt humanum corpus, de quo tria tantum quæri poſſunt, de principiis, de partibus, de ortu. *Principia* ſunt, vel omnino prima, vt elementa quatuor: vel ad hominem prima, vt ſemen & ſanguis menſtruus. De omnino primis & hu-

moribus disputatur in libro de natura humana: De partibus similaribus in libro de ossibus, neruis & arteriis. Partes exponuntur in iisdem libris, & libro de corde & carnibus. Ortus in libro de nat. pueri, de septimestri, octimestri partu, de superfœt. Principia quoad generationem in libro de genitura. *Finis Medici sanitas* est, quæ adest, vel abest: si adest, conseruanda: si abest, recuperanda. Præsentem conseruandam docet libris de alimento, de salubri diæta, de diæta. Si abest, recuperanda est profligatione morbi. Ad morbi profligationem tria necessaria sunt, διάγνωσις, πρόγνωσις, θεράπευσις. *Diagnosis morbi* duplex est, nempe *morbi communis* toti hominum generi, *&* *proprij.* *Proprius* morbus est duplex, vnus partis, alter sexus. Diagnosis morbi communis exponitur in libris de locis in homine, de morbis, de affectionibus internis. Morbi vero proprij sexui, in libris de virginalibus, de morbis mulierum, de sterilibus. Diagnosis morbi, qui parti proprius est, in libris de visu, de dentibus, de hæmorrhoïdibus, de vulneribus capitis. Omnis prognosis triplex tantum est, teste Galeno *in præfat. com. 2. in 3. epid.* Vel enim prognosis est signorũ, quæ semper vera sunt, vel quæ interdum: vel vtrorumque. Semper vera continentur tribus prognostici. Interdum vera libris duobus prorrhetici. Vtraque in Coacis animaduersionibus. Therapeusis omnino triplex, per medicamentum, diætam, chirurgiam. De medicamentis scribitur in libro de purgantibus medicamentis, de affectionibus internis, de morbis, de morbis mulierum, de sterilibus, de humoribus. Diæta sectionibus quatuor libri de victu acutorum

exponitur. Chirurgia libris de fracturis, articulis, hæmorrhoïdibus, capitis vulneribus. Et quoniam morbus (vt genus) certas continet sub se species, eas non omisit Hippocrates. Morbus enim omnis, vel est sporadicus, id est, erraticus, vel epidemius, vel pestilens, vel endemius. Morbi sporadici tractantur libro de victu acutorum: Epidemij & pestilentes libris epidemiorum: Endemij, id est, morbi cuiusque regionis proprii atque vernaculi hoc libro declarantur, secundum aëris, aquæ, & locorum diuersas temperaturas.

De inscriptione libri περὶ ἀέρων, &c.

Melius iste liber inscriberetur *de aëribus*, quàm *de aëre*. Vt enim terra significat globum vniuersum, terræ vero dicuntur distinctæ in hoc globo regiones. Sic aër est illud omne, quod à Luna ad nos vsque inane patet: Aëres autem sunt totius corporis aërei temperatura distinctæ partes. Nec abhorrendum à dictione tanquam barbara, cum Vitruuius *primo Architect.* dixerit, quosdam esse aëres salubres, quosdam pestilentes: & Lucretius lib. 4.

Aëribus binis quoniam res consit vtroque.

ARGVMENTVM LIBRI.

SCopus Hippocratis est in hoc libro exponere generaliter causas omnes morborum endemiorum, tum sigillatim perstringere, qui quarum regionum sunt morbi. Ea enim semper fuit ratio scribendi Hippocratis, vt vniuersalibus particularia subiungeret. Methodus huius libri est resolutoria, quia semper incipit ab iis quæ composita sunt, & per partes examinat. Partes huius libri sunt quatuor: Prima

de aëribus, secunda de aquis, tertia de tempestatibus anni, quarta de locis. Aëris tractatio continet quatuor partes: Prima est de aëris affectionibus inter ortum & occasum. Secunda inter ortum & occasum æstiuum. Tertia à meridie. Quarta à septentrione aërem distinguit: Morbique exponuntur secundum anni tempestates, sexus & ætates. Tractatus aquæ continet nouem partes. Prima est de incommodis palustris & glacialis aquæ. Secunda de petrosæ incommodis. Tertia de commodis aquæ salubris. Quarta de malis aquæ salsæ. Quinta de vtilitatibus aquæ orientalis. Sexta de morbis aquæ meridionalis. Septima de vsu aquarum. Octaua de pluuia. Nona de aqua quæ calculum generat. Tractatus de temporibus duas habet partes. Prima est de notis anni salubris. Secunda de morbis secundum comparationem tempestatum inter se. Tractatus de locis pertinet ad Aphros, Asianos, & Europæos, non omnes, sed eos tantum, quorum magna est inter se mutatio.

De procemio.

Galenus in præfatione comm. 1. in 1. epid. *tres omnino facit causas morborum: ea quæ offeruntur, exercitia quæ obimus, & res externas. In hac autem præfatione docet Medico quinque esse necessaria; cognitionem tempestatis anni, venti, aquæ, terræ, diætæ. Tempus, ventus, terra pertinent ad ea quæ extrinsecus occurrunt. Aqua ad ea quæ offeruntur. Diæta tam ad ea quæ offeruntur, quam ad exercitia quæ obimus.*

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ

ΠΕΡΙ ΑΕΡΩΝ, ΥΔΑΤΩΝ, ΤΟΠΩΝ.

HIPPOCRATIS

LIBER DE AERE, AQVIS, ET LOCIS.

TEXT. I. ΙΗΤΡΙΚΗΝ, ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητεῖν, τάδε χρὴ ποιέειν. πρῶτον μὲν ἐνθυμέεσθαι τὰς [1] ὥρας τοῦ ἔτεος, ὅ, τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη. οὐ γὰρ ἐοίκασιν οὐδὲν, ἀλλὰ πολὺ διαφέρουσιν αὗται [2] τε ἑωυτῶν, καὶ ἐν τῇσι

TEXT. II. μεταβολῇσιν. ἔπειτα [3] δὲ τὰ πνεύματα, τὰ θερμά τε, [4] καὶ τὰ ψυχρά. μάλιστα μὲν, τὰ κοινὰ πᾶσιν [5] ἀνθρώποισιν. ἔπειτα δὲ, καὶ

TEXT. III. ἐν ἑκάστῃ χώρῃ ἐπιχώρια ἐόντα. δεῖ δὲ καὶ [6] τῶν ὑδάτων ἐν-

QVICVNQVE artem medicam integrè adsequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorũ valeat: (non enim simile quicquam in illis existit, verùm differunt inuicẽ propter varias quæ in eis fiunt mutationes.) Deinde ventorum calidorumq; & frigidorum maximè, qui ex his omnib. hominib. sunt cõmunes, & mox qui in vnaquaque regione sũt indigenę & proprij. Neque vero negligentiorẽ se

circa aquarum facultates cognoſcendas exhibere conuenit. Quemadmodem enim guſtu differunt, & pondere & ſtatione, ſic quoque virtute aliæ aliis longè præſtant. Quare ſi quis ad vrbem ſibi incognitam perueniat, circũſpicere oportet, eius ſitum, quo modo ſcilicet ad ventos & ſolis exortus iaceat. Non enim æquales vires ſunt, ad Septentrionem ſitæ, & vergentis ad Auſtrum: neque eius quæ ſolem exorientem, & quæ eundem occidentem ſpectat. Hæc itaque diligenter oportet perſcrutari, ac ſimul quo modo habeant circa eam aquæ: num-ne paluſtribus vtantur & mollibus, aut duris, & ex ſublimi loco prolabentibus, & ſcaturientibus ex petris, ſiue ſalſis, & crudis. Terra etiam ipſa conſideranda, nuda ne ſit & aquis carens, aut denſa & aquoſa, & an concaua ſit & æſtuoſa, vel alta & frigida. Hominum inſuper diæta perquirenda qua maxime capiantur: an bibuli ſint & lurcones, & ocio dediti, aut exercitiis variis vtentes, & tolerantes laborum, ciborumque plus adpetentes quam poculorum. Ex his enim ſin-

θυμέεσθαι τὰς δυνάμιας. ὥσπερ
γὰρ ἐν τῷ στόματι διαφέρουσιν.[7] καὶ ἐν τῷ σταθμῷ,[8] οὕτω καὶ ἡ δύναμις διαφέρει πολὺ ἑκάστου. ὥστε ἐς πόλιν ἐπει- Text
δὰν ἀφίκηταί τις, ἧς ἄπειρός ἐ- IV.
στι, διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτέης, ὅκως κέεται, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα, καὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου. οὐ γὰρ τ' ωὐτὸ δύναται,[9] ἥτις πρὸς βορέην κέεται, καὶ ἥτις πρὸς νότον. οὐδ' ἥτις πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. οὐδ'
ἥτις πρὸς δύνοντα. Ταῦτα δὲ V.
ἐνθυμέεσθαι ὡς κάλλιστα, καὶ τῶν ὑδάτων[10] πέρι, ὡς ἔχουσιν. καὶ πότερον ἑλώδεσι[11] χρέονται καὶ μαλακοῖσιν,[12] ἢ σκληροῖσί τε καὶ ἐκ[13] μετεώρων, καὶ ἐκ πετρωδέων. εἴτε ἁλυκοῖσι,[14] καὶ
ἀτεράμνοισιν. καὶ τὴν γῆν, VI.
[15] πότερον ψιλή τε καὶ ἄνυδρος, ἢ δασεῖα,[16] καὶ ἔφυδρος, καὶ εἴτε ἐν[17] κοίλῳ ἐστὶ καὶ πνιγηρή,
εἴτε μετέωρος, καὶ ψυχρή. καὶ VII.
τὴν δίαιταν[18] τῶν ἀνθρώπων ὁκοίῃ ἥδονται. πότερον φιλοπόται,[19] καὶ ἀριστηταί, καὶ ἀταλαίπωροι, ἢ φιλογυμνασταί[20] τε καὶ φιλόπονοι, καὶ ἐδωδοί,
καὶ ἄποτοι. καὶ ἀπὸ τουτέων χρὴ VIII.

TEXT. IX. ἐνθυμέεσθαι ἕκαστα. εἰ γὰρ [21] ταῦτα εἰδείη τις καλῶς, μάλιστα μὲν, πάντα. εἰ δὲ μὴ, τά γε πλεῖστα, οὐκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι ἐς πόλιν ἀφικνεόμενον, ἧς ἂν ἄπειρος ᾖ, οὔτε νοσήματα ἐπιχώρια, οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις ὁκοίη τίς ἐστιν. ὥστε μὴ ἀπορέεσθαι ἐν τῇ θεραπείῃ τῶν νούσων, μηδὲ διαμαρτάνειν, ἃ εἰκός ἐστι γίνεσθαι, ἢν μή τις ταῦτα πρότερον εἰδὼς πρόφρων τις ᾖ.

X. περὶ ἑκάστου δὲ χρόνου προϊόντος καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ λέγοι ἂν, ὁκόσα τε νοσήματα μέλλει [22] πάγκοινα τὴν πόλιν καταλήψεσθαι, ἢ θέρεος, ἢ χειμῶνος. ὁκόσα τε ἴδια ἑκάστῳ κίνδυνος γίνεσθαι, ἐκ μεταβολῆς τῆς διαίτης.

XI. εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς, [23] καὶ τῶν ἄστρων [24] ἐπιτολάς τε καὶ δυσίας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκοῖόν τι μέλλει γίνεσθαι.

XII. οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος καὶ προγινώσκων [25] τοὺς καιροὺς, μάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν

gula ſunt inueſtiganda. Nam qui hæc omnia probè, quantum fieri poteſt, cognouerit, aut horum plurima, eum latere non poſſunt, quum in vrbem etiam ignotam ſibi peruenerit, neque morbi regioni peculiares & patrij, neque communis regionis natura, quæcunque tandem ea fuerit, vt non poſſit in cognoſcendis morbis dubius hærere, aut errare, ſicubi ad morborum medicationes adhibeatur. Quæ ambo illis euenire ſolent, qui non priùs prouidi hæc diligenter cognouerũt. Quare qui ea ſtudioſè rimatus fuerit, vniuſcuiuſque temporis, ac anni futuri conſtitutionem prædicere poterit, qui videlicet morbi communi affectione ciuitatem ſint inuaſuri, tum æſtate, tum hyeme, & quæcunque pericula vnicuique ſint timenda ex diætæ ac victus immutatione. Quum enim temporum mutationes, & aſtrorum ortus ac occaſus obſeruauerit, quemadmodum ſingula horum eueniant, prænoſcet vtique & de anno, qualis hic ſit futurus: hoc namque modo ſi quis rimatus fuerit, ac præcognouerit temporum occaſiones, maximè de ſingulis ſciet, vt plurimumque ſanitatem adſequetur, & recta via

procedet, non minima artis suæ gloria. Quod si cui hæc sublimiora videantur, is si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad artem medicam ipsam Astronomiã sed omnino plurimam, quum vnà cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur. Quomodo autem singula quæ diximus scrutari ac explorare oporteat, deinceps dicam manifestè. Quæcumque quidem ciuitas ad ventos sita est calidos, (puto autem eos qui inter brumalem solis exortum, itidemque occasum perflant) huic hi venti sunt peculiares. A septentrionalibus autem vẽtis tuta ac protecta ea ciuitas existit. Aquæ verò eius multæ & subsalsæ sunt, & necessariò non sublimes, æstate quidem calidæ, hyeme frigidæ. Et quæ quidem vrbes bene sitæ sunt ad solem, & ad ventos, & aquis bonis vtuntur, hæ minus à talibus mutationibus afficiũtur. Quæ vero aquis palustribus & lacustribus vtuntur, & non bene sitæ sunt ad ventos, & ad solem, hæ magis. Et si quidem æstas sicca

φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ.
εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρόλογα εἶναι, εἰ μεταςαίη τῆς γνώμης, Text. XIII.
μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος [26] συμβάλλεται ἀςρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖςον. ἅμα γὰρ τῇσιν [27] ὥρῃσιν, καὶ αἱ κοιλίαι [28] μεταβάλλουσι τοῖσιν ἀνθρώποισιν. ὅκως δὲ χρὴ ἕκαςα τῶν προειρημένων σκοπεῖν καὶ βασανίζειν, ἐγὼ φράσω σαφέως. ἥτις μὲν πόλις πρὸς τὰ πνεύματα κεῖται τὰ θερμά. ταῦ-
τα [29] δ' ἐςὶ μεταξὺ τῆς τε χει- XIV.
μερινῆς ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου, καὶ τῶν δυσμέων τῶν χειμερινῶν, καὶ αὐτέη ταῦτα τὰ πνεύματά ἐςι ξύνομα. τῶν δὲ ἀπὸ τῶν ἄρκτων πνευμάτων, σκέπη. ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ἐςὶ, τά τε ὕδατα [30] πολλὰ καὶ [31] ὕφαλα, καὶ ἀνάγκη εἶναι μὴ [32] μετέωρα, τοῦ μὲν θέρεος, [33] θερμὰ, τοῦ δὲ χειμῶνος, ψυ-
χρά· καὶ ὁκόσαι μὲν τῶν πόλεων, XV.
κέονταί γε καλῶς, τοῦ ἡλίου καὶ τῶν πνευμάτων, ὕδασί τε χρῶνται [34] ἀγαθοῖσιν, αὗται μὲν ἧσσον αἰσθάνονται τῶν τοιουτέων με-
ταβολέων. ὁκόσαι δὲ [35] ὕδασί τε XVI.
ἑλείοισι χρέονται καὶ λιμνώδεσιν, κεῖνται τε μὴ καλῶς τῶν πνευ-
μάτων, καὶ τοῦ ἡλίου, αὗται δὲ μᾶλλον. κἢν μὲν [36] τὸ θέρος αὐχμηρὸν XVII.

fuerit,

37 γίνηται, θᾶσσον παύονται 38 αἱ νοῦσοι. ἢν δὲ ἔπομβρον, πολυχρόνιοι 39 γίνονται. καὶ φαγεδαίνας 40 κοινῶς ἐγγίνεσθαι ἀπὸ πάσης προφάσιος, ἢν ἕλκος 41 ἐγγίνηται.

TEXT. XVIII. τοῦ δὲ χειμῶνος 42 ψυχροῦ, τούς τε ἀνθρώπους 43 τὰς κεφαλὰς ὑγρὰς ἔχειν καὶ φλεγματώδεας, τάς τε κοιλίας αὐτέων πυκνὰ ἐκταράσσεσθαι 44 ἀπὸ τῆς 45 κεφαλῆς τοῦ φλέγματος ἐπικαταρρέοντος. τά τε 46 εἴδεα ἐπὶ τὸ πλῆθος αὐτέων ἀτονώτερα εἶναι. ἐσθίειν 47 δὲ οὐκ ἀγαθοὺς εἶναι οὐδὲ πίνειν. ὁκόσοι μὲν 48 γὰρ κεφαλὰς ἀσθενέας ἔχουσιν, οὐκ ἂν εἴησαν ἀγαθοὶ πίνειν. ἡ γὰρ κραιπάλη 49 μᾶλλον πιέζει.

fuerit, citius sedantur morbi: si vero pluuiosa, diuturni fiunt: & phagedænas adedentes ex omni occasione oboriri verisimile est, si vlcus fiat. Si vero hyems frigida sit, homines capita humida ac pituitosa habere par est: & ventres ipsorum frequenter exturbari pituita à capite influente: & formas ipsorum vt plurimum debiliores esse: ipsosque ad edendum ac bibendum non appositos esse. Nam qui capita debilia habent, non fuerint boni potores. Crapula enim magis grauat.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

TEXT. I. 1 TAΣ ὥρας τοῦ ἔτεος.] Ad benè curandum quinque necessaria sunt; morbi dignotio, medicamenti selectio, modus agendi, medicamenti propinatio aut prohibitio, administratio cibi, de quibus possumus petere indicationem ab anni tempestate. Æstas enim indicat febris speciem, *per aph.* 12. *lib.* 1. Indicat selectionem medicamenti, vt quia bilis dominatur æstate, sit medicamentum chologogū. Indicat modum agendi, *per aph.* 4. *lib.* 4. Indicat prohibitionem, *per aph.* 5. *lib.* 4. Administratur cibus secundum quantitatem, qualitatem, vtendi modum. Quantitatem declarat anni tempestas atque qualitatem, *per aph.* 15. & 18. *lib.* 1. Vtendi modum à paroxysmo.

2 αὗται τί ἑωυτῶν.] Duplicem notat differentiam tempestatum anni; alteram essentiæ, alteram secundum accidens. Essentia tempestatum consideratur secundum suam natiuam temperiem; secundum quam

hyems frigida humida, ver temperatum, æstas calida ſicca, autumnus ſiccus, in calore & frigore inæqualis dicitur. Et hoc modo conſiderantur anni tempeſtates ab Hippocrate, ab aph. 20. lib. 3. ad aph. 25. Differentia per accidens eſt, quando propter variatam aëris temperiem anni partes de ſua ſymmetria decedunt, vt ſi contingat hyemem eſſe auſtrinam & calidam, ver autem boreale & frigidum. Et hoc modo conſiderantur anni tempeſtates ab Hippocrate ab aph. 11. lib. 3. vſque ad aph. 15.

TEXT. II. 3 ἔπειτα δὲ τὰ πνεύματα.] Galenus *in præfatione comm. 1. in 1. epid.* ait nos ſimul & ſemper omnibus iniuriis aëris eſſe obnoxios: quoniam inſpiratione & perſpiratione ſemper ipſum recipimus. Ventus autem Hippocrati *in libro de flatibus & 2. de diæt.* eſt aëris fluxus & vnda. Quam definitionem Galenus retinet *ad part. 13. ſect. 3. lib. de humoribus*, aitque ventum eſſe aëris vndam & fluxum cum incerta motus redundantia. Quam definitionem etſi Ariſtoteles *cap. 4. lib. 1. meteor.* videtur improbare, tamen *probl. 2. ſect. 26.* eandem retinet, & *probl. 34.* huius motus cauſam aſtris attribuit. Facit autem ventorum conſideratio ad cognitionem morborum & curationem, vt patet ex hiſtoria Hippocratis, qui vocatus ab Illyriis, vt peſtem auerteret, vbi reſciuit per legatos qui venti flarent, nempe meridionales, eò profectus non eſt, quod mederi morbo nemo poſſet.

4 τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρά.] Bimembris tantum iſta diuiſio eſt, quoniam Hippocrates vbicunque de ventis loquitur, de Auſtro tantum & Aquilone mentionem facit, quoniam hi ſoli & maximas, & maximè diuturnas mutationes efficiant. Primum patet, quoniam hi venti præditi ſunt qualitatibus actiuis. Secundum autem, quoniam vbi plurimæ aquæ, ibi plurimi & diuturniores venti, vt ſcribit Ariſtoteles *cap. 4. 2. meteor.* Secunda ratio diuturnitatis petitur ex Ariſtotele *probl 37. ſect. 26.* vbi ait ventos contrarios ad lineam perpendicularem ſibi oppoſitos minùs durare, quoniam alter ab altero ſuperetur. Tales autem ſunt venti ab ortu & occaſu. Qui autem non ad lineam opponuntur, ſed laterales ſunt, hi diutius durant. Tales autem ſunt qui flant à polis.

5 κοινὰ πᾶσι ἀνθρώποισιν.] Ventos communes definit Gal. *ad part. 13. ſect. 3. lib. de humor.* qui apud omnes eodem nomine vocantur: proprios autem, qui vel certæ tempeſtati anni, vel certo loco conueniunt. Communes ſunt ſalubriores, proprij morboſiores, quoniam inæqualiter corpus afficiunt, cum nec totum aërem commoueant, nec toto die ſpirent, ſed vt plurimum mane. Aëtius *tetrabibl. 1. ſerm. 3. cap. 163.* Hi enim venti proprij, vel à terra fiunt, vel ab aqua, vel à mari Si à terra, ficciores ſunt; ſi à mari, hyeme & vere ſunt ſalubriores, non æſtate; ſi ab aqua, eaque ſit fluuialis, ſalubres ſunt æſtate, noxij hyeme. Si vero ſit paluſtris, ſtagnans aut lacuſtris, ſemper ſunt mali. Qui proprij ſunt tempori, ſunt Eteſiæ, qui flant menſe Iunio: Ornithiæ qui Februario, Fauonius qui Martio.

6 *δεῖ δὲ καὶ τῶν ὑδάτων.*] Septem possunt esse causæ, cur aquarum considerationem habere oporteat: Nam immutant aërem, excitant ventos, irrigant terras, nutriunt plantas, quæ nobis futuræ sunt alimento; bibuntur, extrinsecus per ablutionem apponuntur, præparationi ciborum inseruiunt. Ideoque Aristoteles *probl.* 14. *sect.* 1. inquit copiosiorem esse aquæ vsum quàm cæterorum eduliorum. Et *probl.* 13. *eiusdem sectionis,* inquit grauiorem esse aquarum mutationem quàm aëris, quoniam cedit in alimentum. Et Auicennas diuturniora facit incommoda ex aquis, quàm ex aëre. Aëris autem incommoda pertinent magis ad vitales facultates & animales, aquæ vero ad naturales. TEXT. III.

7 *ἐν τῷ στόματι διαφέρουσιν.*] Galenus *cap.* 4. *lib.* 1. *de simpl. medic. facult.* tribus sensibus aquas dijudicat, gustu, visu, & olfactu. Sed quemadmodum Galenus *ad aph.* 17. *lib.* 3. notat ab Hippocrate per auditum reliquos sensus esse intellectos, sic etiam hic per gustum. Adde quod hic sensus inter omnes præstat.

8 *καὶ ἐν τῷ σταθμῷ.*] Non debemus intelligere pondus stateræ, sed pondus ipsarum qualitatum, quemadmodum exponit Gal. *ad aph.* 26. *lib.* 5. Si enim leuitatem aquæ metitur Hippocrates ex facili caloris & frigoris receptione, pondus non est de lance intelligendum. Et Plinius *cap.* 3. *lib.* 31. inquit omnes aquas eiusdem ferè semper esse ponderis, quod attinet ad quantitatem. Aut si ad pondus, id est, ad quantitatem, ipsam referre volumus, vt fecit Corn. Celsus *cap.* 18. *lib.* 2. ex aquis pondere paribus eam seligemus, quæ citius calescat & refrigeretur.

9 *οὐ γὰρ τὸ αὐτὸ δύναται, ἥτις πρὸς*] Ex *aph.* 15. *sect.* 3. siccitates sunt imbribus salubriores. Et ex aph. 17. eiusdem libri Aquilonis maximè proprium est corpora roborare. Quæ igitur vrbes spectant Orientem & Septentrionem, salubriores sunt, quoniam frigidiores, si modò fuerint in excelso loco & minimè nebuloso: vt exempli causa, hæc nostra ciuitas, (Lutetia) etsi propter decliuem situm & flumen habet aërem humidiorem, tamen quoniam ad Orientem & Septentrionem patet, idcirco salubris est, & quoniam totus meridies montis oppositu coërcetur. IV.

10 *καὶ τῶν ὑδάτων.*] Omnis aqua vel oritur à terra, vel descendit à cœlo. Eius quæ à cœlo sex sunt species, pluuia, nimbus, grando, nix, pruina, ros. Sed Hippocrates hic meminit tantum aquarum à terra manantium, & earum septem facit species. Est enim palustris, mollis, dura, ex sublimi, petrosa, salsa, cruda. V.

11 *καὶ πονηρον ἑλώδεα.*] Hippocrates *lib.* 3. *de morbis*, vniuersum hoc theorema facit; *talis ventriculus, tale & vniuersum corpus*. Ex Auicenna *lib.* 1. *fen.* 2. *doct.* 2. *cap.* 16. palustres aquæ & stagnantes, & omnes quæ quiete torpent, ventriculis sunt inimicissimæ, ideoque in consensum corpora rapiunt. Et cum omnis putredinis tres sint principes causæ, teste Gal. *ad part.* 1. *sect.* 3 *lib.* 3. *epid.* calor, humor, quies: hæ omnes causę in paludes concurrunt, quæ diu morantur, & à putrente terra originem habent, teste Auicenna *ibidem*. Galenus item *ad part.* 10. *sect.* 4. *lib.* 6. *epid.* requirit in aquis ne limosæ sint: palustres autem omnes sunt cœnosæ.

12 καὶ μαλακοῖσιν ἢ σκληροῖσι.] Aquas molles intelligit suaues, & quæ medio crem coctionem adeptæ sunt. Harum hanc notam tradit Galenus *ad part.* 10. *sect.* 4. *lib.* 6. *epid.* si quæ in his aquis elixantur, citò coquantur, præcipuéque ciceres. Erunt igitur aquæ duræ, in quibus nihil nisi longo interuallo coquitur.

13 ἐκ τῶν μετεώρων.] Omnis terra de qua manant aquæ, consideratur secundum substantiam, situm, colorem. Substantia est quintuplex, cœnosa, cretosa, petrosa, sabulosa, glareosa. Cœnosæ & cretosæ terræ aqua semper est mala. Petrosæ, si modò saxa rubra sint, semper bona: rubeus enim color in saxis est index benè temperatæ terræ, vt inquit Plinius. Glareosæ semper tenuis, ideoque facilè transcolatur. Sabulo duplex, fœmineus, qui mollis & lenis, & eius aqua tenuis: masculus, qui durus & asper, & eius aqua bona, quia sicca & pura. Terræ color consideratur in nigredine, & terræ nigræ semper aqua bona, sed pauca. Situs est vel campestris, vel montosus. Campestris terræ aqua multa, sed mala. Montosæ verò bona, quoniam montes à solaribus radiis semper repurgantur. Vide Vitruuium *cap.* 1. *lib.* 8. *Architect.* Plinium *toto libro* 31.

14 εἴτε ἁλυκοῖσι.] Aquæ redduntur salsæ duobus modis, vt colligere possumus ex Aristotele *cap.* 3. *lib.* 2. *meteor.* Aut enim alienæ materiæ admixtione aqua redditur salsa, vt quæ aqua per cineres percolatur: aut eius quod dulce est euaporatione, hoc modo mare salsum est, quoniam quicquid in eo dulce est à sole attrahitur. Vnde notat Plutarchus *quæst.* 9. *lib. de caus. naturalib.* hyeme minùs mare esse salsum, quoniam sol minus attrahit. Quod autem attinet ad aquas crudas, eas ipsas appellat, quæ cœnosæ sunt, vt distinguantur à mollibus & duris: quod molles aquæ dicantur, quæ magis humectant; duræ verò, quæ terrenæ cuiusdam siccitatis participes sunt. Siquidem ex Galeno *cap.* 3. *lib.* 2. *de temper. omne quod humidum est, molle est: & omne quod siccum, durum.*

TEXT. VI. 15 καὶ τὴν γῆν πότερον ψιλή τε ἐ] Vitruuius *cap.* 4. *lib.* 1. *Architect.* inquit solitos esse vrbium conditores vernaculas loci hostias immolare, vt ex ipsarum visceribus de loci temperamento coniecturam facerent. Quod si viscera reperirent corrupta, id ab aquis & alimentis dependere credebant, proinde ab ædificatione cessabant. Rectè igitur Hippocrates terrarum hic diuisionem attigit secundùm temperiem & situm. Secundum temperiem, quod sit sicca vel humida, æstuosa vel frigida. Secundum situm, quod sit concaua vel alta. Nuda autem dicitur terra, quę propter nimiam siccitatem plantas producere non potest, vt docet Galenus *cap.* 5. *lib.* 2. *de temper.* huiusque regionis homines & parui sunt & sicci.

16 ἢ δασεῖα καὶ ἔφυδρος.] Terram possumus appellare ἔφυδρον, quę non omnino immersa est aquis, aliàs nullas plantas produceret, vt patet ex *lib.* 2. *de temper. cap.* 5. sed quæ madorem habet sufficientem ad excitandas & nutriendas plantas. Huius interpretationis ratio ducitur ex eod.

Hippocrate, qui leuem illum & cutaneum sudorem minimé que criticum, appellat ἐφύδρωσιν.

17 καὶ εἴη ἐν κοίλῳ.] Vitruuius *cap.* 4. *lib.* 1. *Architect.* prohibet eo in loco ædificari ciuitates, quo calidi flatus emanant, quia calore corpora dissoluuntur, quemadmodum frigore confirmantur. Vnde pronunciatum illud Hippocratis epid. 6. *Hominem calidum, in regione frigida calidiorem reddi.* Concaua autem omnis regio, propterea quod recipit defluentes è montibus pluuias, aduentante calore magis æstuat, quod humiditatis pabulum illi non desit: & cum hæ regiones concauæ aërem habeant humidum, ideo minus difflantur corpora, & suppressione biliosarum serositatum morbi nascuntur.

18 καὶ τὴν δίαιταν τῶν ἀνθρώπων.] Ex cognitione diætæ septem vtilitates capimus. Primum cognoscimus causam morbi, vt in homine guloso cacochymiam: tum morbum ipsum, tum rationem purgandi, exercendi, sanguinis mittendi, cibandi, & vsum cibi. Nam qui ex cacochymia cruda in morbum deuenit, purgandus non est crudo adhuc morbo: non exercendus, non inaniendus sanguine, vt docet Galenus *ad part.* 12. *sect.* 1. *lib. de humor.* & *ad part.* 15. *sect.* 2. Quis cibus offerendus, à diæta dependet, *per aph.* 50. *lib.* 2. Quomodo offerendus, id est, bisne an semel, *per aph.* 17. *lib.* 1. Est autem omnino ratio cibandi triplex; augmentum virium, conseruatio, & diminutio. In sanis possumus augere vel conseruare vires: In ægris, si longus est morbus, conseruare: si acutus, modicè diminuere, & in hac diminutione conseruare. Gal. *ad aph* 4. *lib.* 1. Hic autem Hippocrates duplici exemplo duplicem ponit diætam in sanis, prauam vnam, laudabilem alteram. Praua est hominum edacium, bibacium, otiosorum. Bona est eorum, qui ab exercitio plus appetunt cibi, quàm potus. TEXT. XVII.

19 φιλοπόται.] Hi sunt eiusmodi, quorum hepar amplum est & calidum, plurimum enim bibunt: vnde Aristoteles *in physiognom.* magnam amplitudinem ab vmbilico ad pectus signum voracitatis ponit. Quibus autem est ventriculus frigidus, vel qualitate sua, vel cum acido humore, hi sunt edaces. Nam, vt inquit Galenus, *ad part.* 20. *sect.* 4. *lib.* 6. *epid.* omnia appetentiam excitant, quorum ea vis est, vt sanguinem tunicarum ventriculi in arctum constringant. Vide Gal. *cap.* 7. *lib.* 1. *de caus. sympt.* TEXT. XVII.

20 ἢ φιλογυμνασταί τε.] Exercitium proposuit, quoniam debet cibos præcedere, vnde Hippocrates *part.* 22. *sect.* 4. *lib.* 6. *epid. Exercitatio salubris, non saturitas cibi, promptitudo ad labores.* Rationem videtur reddere *part.* 10. *sect.* 5. *eiusdem*, quod articulis & carnibus labor debeatur, somnus autem & cibus visceribus. Nam, vt idem ait *lib.* 2. *de diat.* inexercitatorum carnes semper humidæ sunt. Cur autem labor præcedere debeat, rationem reddit Hippocrates *part.* 34. *sect.* 5. *lib.* 6. *epid.* ne videlicet vlcera erumpant in cutem ab acri humore ipsam erodente. Ex hac ratione vitæ triplex consurget vtilitas, articulorum robur, caloris innati incrementum, motio spirituum. A primo immunitas à morbo,

à ſecundo melior concoctio & diſtributio, à tertio excrementorum euacuatio. Vide Paulum Æginetam *lib.1.cap.16.* & Gal. *cap.14.lib.1. de ſanit. tuend.*

TEXT. IX. 21 *εἰ γὰρ ταῦτα.*] Vbi expoſuit Hippocrates, quæ Medico neceſſaria erant ad cognitionem, nunc manantem inde vtilitatem oſtendit, nempe quod non errabit Medicus in curatione: quoniam intelliget morbus ne ſit curabilis, an non. Et cum ex Hippocrate *in libro de arte* morborum duo ſint genera, vnum apertum, quod eſt cutaneum, vt exanthemata; alterum obſcurum, quod eſt in profundo corporis: Ad huius cognitionem requiruntur coniecturæ generales de aëre, ventis, aqua, terra. Erit autem morbus vernaculus, ſi dependeat ab halitibus terræ, quod cognoſcimus quando quadrupedes primæ afficiuntur. Erit autem morbus epidemius, ſi ab aëre: quod cognoſcetur, cum volucres primæ lædentur. Aëtius *tetrabibli 2. ſerm. 1. cap. 95.*

X. 22 *ὁκόσα τε νοσήματα μέλλει πάγκοινα.*] Galenus *in præfat. comm. 1. in 1. epid.* hunc locum citat, appellatque morbos vniuerſales, quorum cauſa eſt communiſſima, nempe aër: morbos autem ſporadicos ſiue diſperſos, qui à diæta originem trahunt. Cuius rei exemplũ eſt apud Gal. *cap. 1. lib. de enchym. & cacochym.* Quod ſi victus quo vtimur, ab aëre, aqua vel terra communem labem acceperit, tum à diæta manabunt morbi vniuerſales: ſic enim apud Hippocratem *part. 13. & 14. ſect. 4. lib. 6. epid.* in Æno ex leguminibus crurum debilitas, nempe craſſis humoribus contractis, per abſceſſum eò detruſis; & ab eruo genuum dolores.

XI. 23 *εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολάς.*] Immutationes tempeſtatum anni conſiderantur duobus modis, vel in ſucceſſione, vel in alteratione. Succeſſio eſt cum tempeſtas tempeſtati ſuccedit, & diſtinguuntur ſua germana temperie, quo modo conſiderantur ab Hippocrate *ab aph. 20. ad 25. lib. 3.* Alteratio fit tribus modis, defectu, exceſſu & alienatione. Defectu, vt ſi æſtas ſit tepida, quæ debet eſſe calida, *aph. 6. lib. 3.* Exceſſu, vt ſi æſtas ſit ſummè ſicca, *aph. 7. lib. 3.* Alienatione, cum anni tempeſtas induit contrarias ſuæ germanæ temperiei qualitates, vt *aph. 13. lib. 3.* ſi æſtas ſit frigida & aquilonia, quæ debet eſſe calida.

24 *ἄστρων ἐπιτολάς.*] Hippocratis diſciplinæ conſentaneum non eſt exiſtimare ab aſtris in hæc inferiora demitti morbos, quoniam omnes actiones fiunt per calidum, frigidum, humidum & ſiccum: Quæ qualitates cum ſint elementares, in aſtris reperiri non poſſunt. Sed quotieſcunque Hippocrates aſtri meminit, numerandi cauſa, annique tempeſtates diſtinguendi tantum fecit, vt author eſt Galenus *ad part. 1. ſect. 1. lib. 1. epid.* Cum igitur vult ortus occaſuſque ſyderum conſiderari, hoc facit, vt diſtinguamus annum in partes ſuas. Hoc autem ex Hippocratis diſciplina, ſic fit *lib. 3. de diæt.* Ver incipit ab æquinoctio verno, id eſt, quarto Idus Martij, ſiue duodecima Martij, ad ortum Vergiliarum vſque (qui eſt Calendis Maij;) Æſtas incipit à Vergiliarum ortu vſque ad ortum Arcturi, qui eſt pridie Idus Septembres, (id eſt 12.

Sept.) Autumnus ab ortu Arcturi vſque ad occaſum Vergiliarum, qui fit tertio Id. Nouembr. id eſt, nona Nouembris. Ab occaſu Vergiliarum vſque ad æquinoctiũ vernum eſt hyems. Ex anni autem tempeſtatibus ita deſcriptis Hippocrates *in libro de ſeptimanis* annum vniuerſum diuiſerat in ſeptem partes: hyemem ſcilicet in tres, ſementem, ſolſtitium & inſitionem: Æſtatem in duas, quarum ſecunda pars incipiebat ab ortu Caniculæ & vocabatur ὀπώρα, propterea quod tum horæi fructus matureſcerent; Gal. *ad part.1.ſect.1.lib.1. epid. & comm. ad aph. 14. lib.3.* Ver autem & Autumnum ſine diuiſione, propter temporis breuitatem, reliquerat. Et quoniam iſta omnis anni ratio ab ortu dependet & occaſu, notandum eſt vtrumque dici tribus modis. Eſt enim quidam ortus coſmicus omnium ſtellarum, quæ cum ſole oriente ſupra noſtrum hemiſphærium aſcendunt. Eſt ortus chronicus omnium ſtellarum, quæ dum ſol occidit, per orientem ſupra noſtrum horizontem aſcendunt. Eſt ortus heliacus earum ſtellarum vel ſignorum, quæ quoniam à ſole remotiora ſunt, videntur. Et Hippocrates ortum & occaſum heliacum intelligit.

25 καὶ προγινώσκειν τοὺς καιρούς.] Quam nos latinè occaſionẽ dicimus, Hippocrates tribus verbis tantum effert. Aliquando vocat πρόφασιν, vt *part. 10. ſect.1. lib.1. epid.* Et eſt omnis cauſa externa morbi. Aliquando vocat ἀφορμὴν, vt *part. 18. ſect. 3. lib. 6. epid.* Et tum eſt omnis materia, ex qua ducimus principium ad agendum. Aliquando vocat καιρὸν, idque cum duplici ſignificatione: Nam certa rei (quam exhibemus) quantitas, interdum eſt καιρὸς, quo modo Hippocrates *in lib. de locis in hom.* tantam cibi quantitatem dare, quantam requirit corpus ad nutritionem, καιρὸς vocauit. Interdum autem καιρὸς eſt ſpatium breue temporis, quod ex ægri viribus morbique paroxyſmo deprehendimus ad aliquid agendum opportunè. Qua in ſignificatione hic vſurpatur, & aph. 1. lib. 1. Quaſi diceret Hippocrates, & quæ generaliter dicta ſunt de temporibus, & quæ particulariter obſeruari debent in morbis & ægris, Medico eſſe præcognoſcenda. TEXT. XII.

26 οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη.] Demonſtrat Hippocrates Aſtronomiam eſſe Medico neceſſariam, quoniam cognitio mutationis ventris ab ea dependet. Ad ſummum Medicus ab Aſtronomia quinque habet vtilitates: ſanitatis & morbi cognitionem, diætæ, criſεων, pharmaciæ, chirurgiæ. Primum patet ex Hippocrate *lib. de inſomn.* In quo ait videre in ſomniis aſtra eſſe pura, ſignum eſſe futuræ ſanitatis: videre autem ſereno cœlo aſtra debilitari, ſignum eſſe futuri morbi. Secundum patet ex Hippocrate *lib. 1. de diæt.* vbi ait Aſtronomiam eſſe neceſſariam, vt cognoſcamus defectiones & exceſſus in cibis. Tertium patet ex Galeno *totô lib. 3. de dieb. decret.* & præſertim *cap. 6.* Vbi inquit ex eo quod Luna congreditur cum funeſtis aut ſalubribus planetis, funeſtas aut ſalutares eſſe criſes. Quartum & quintum valet ex hoc libro, cum inquit in magnis mutationibus, nec medicamentum eſſe propinandum, nec ſecandum, nec vrendum. XIII.

27 ἅμα γὰρ ταῦτ' ὥρησιν.] Ex mutatione tempestatis triplex spectatur in ventre mutatio; humoris, cibi, medicationis. Humores mutari docet Hippocrates *à part.*32. *ad* 35.*lib de humana nat.* Vbi vult hyeme pituitam, vere sanguinem, æstate bilem, autumno melancholicum succum dominari. Ciborum mutationem ostendit *aph.*18.*lib.*1. Vbi vult æstate & autumno cibi copiam ægrè ferri, hyeme & vere facilè: Cuius ratio dependet ab aph. 15.lib. 1. vbi vult & hyeme & vere ventres esse natura calidissimos. Item *lib.*4.*de morb.* ait cibi copiam æstate grauiùs ferri, quia ventriculus calidus calidum aërem attrahit: hyeme autem facilius, quia ventriculus natura calidus frigidum aërem attrahit. Mutatio medicationis patet ex 4.lib.aph. cum vult hyeme inferiorem ventrem purgandum, æstate superiorem. Nec verò tantummodo mutantur ventres singulis anni tempestatibus, verum etiam singulis diebus, vt docet Galenus *ad part.* 38.*Sect.* 1.*lib.de humorib.* cum ait prima diei parte dominari sanguinem, secunda bilem, tertia melancholicum succum, quarta pituitam: sic & idem *loco citato* scribit primam diei partem esse veri similem, proximam æstati, tempus vespertinum autumno, noctem hyemi. Quod in causa est, vt morbi autumnales acuti sint ac mortiferi, & hora vespertina vehementiores reddantur, & in suis accessionibus exacuantur.

28 αἱ κοιλίαι.] Galenus *ad aph.*20.*lib.*6. notat κοιλίαι sine articulo significare omnem in corpore cauitatem: quæ si sanguinis est hepatici, dicitur vena; si spirituosi, arteria; si excrementi liquidi, cystis; si conceptus & generationis, matrix. At verò ἡ κοιλία cum articulo de ventriculis cerebri, de pectore, de ventriculo & intestinis intelligitur, vt hoc loco.

TEXT. XIV. 29 ταῦτα δ' ἴσα.] Meminit tantum Hippocrates ortus & occasus, tam quia per hos solum tempora numeramus, quam quia omnis astrorum in nos actio ab ortu & occasu est: Agunt enim astra solo motu & lumine, quorum vtrumque adest in ortu, vtrumque deest in occasu: hinc mutationes maximæ. Incipit autem Hippocrates à situ pessimo ciuitatis. Nam Galeno *cap.* 4. *lib.* 1. *de temper.* temperamentum calidum & humidum, pessimum est: tale autem est in meridionali plaga, cuius hic periphrasim ponit. Nam ab ortu brumali flat vulturnus, siccus quidem, sed tepidus: ab occasu flat africus, calidus humidus: inter vtrumque est auster, qui etsi origine sua frigidus est & siccus, tamen quia ad nos non peruenit, nisi traiecto mari meridionali, ob id fit calidus & humidus. Huiusmodi ciuitatis Arelatensis situm describit Valleriola *enarrat. medic.lib.* 3. *enarrat.*1.

30 πίη ὕδατα πολλά.] Per poros enim terræ penetrans vapor, ibique frigore densatus plurimas aquas gignit. Aër item qui hic natura sua crassus est, facile resoluitur in aquam: & præter hæc hîc pluit largo imbri.

31 καὶ ὕφαλα.] Aristoteles *sect.*23.*probl.*25. inquit regionis meridionalis terras semper marino humore aspergi, & ob id hîc esse salsas

aquas.

aquas. Præterea terræ meridionales à sole salsæ fiunt. Ex Plinio autem *cap.4. lib.31.* qualis terra, talis semper aqua.

32 μὴ μετέωρα.] Cur aquæ hic non sint profundę, duplex ratio est. Prima quod calor ambientis ad extimam terræ superficiem aquas educit. Secunda petitur ex Aristotele *cap.1. lib.2. meteor.* quod omnes terræ meridionales sint demissiores, & ob id aquę semper innatant.

33 τοῦ μὲν θέρεος θερμά, τοῦ δὲ χειμῶνος ψυχρά.] Aquæ regionis meridionalis tales sunt quadruplici ratione, loci, aëris, venti & aquæ. Ratione loci, quoniam ex Aristotele *cap.12. lib.1. meteor.* quæ regiones calidæ sunt, in iisdem propter contrarietatem vehementissime frigus viget: & quia hæ aquæ sunt in superficie terræ, ob id non sentiunt vim antiperistaseos, quoniam semper terræ superficies respondet constitutioni tempestatis. Ratione aëris, quoniam crassus est, ideoque conceptum, siue calorem, siue frigus diutissimè seruat. Ratione aquæ, quoniam immobilis est, ideoq; semper æstate calet, & hyeme friget: quod non fieret æstate, si moueretur: quo enim aqua rapidior est, eo frigidior. Ratione ventorum, quoniam auster in regione meridionali noctu non flat, ideoque nox semper frigidior maiorem facit in aqua immobili impressionem, vt docet Aristoteles *probl.11. sect.26.* Cur autem in meridionali regione auster non flat, rationem reddit Aristoteles *probl.53. eiusd.* quod auster vrgeat cum sol niues & glaciem resoluit.

34 ὕδασι κεχρῶνται ἀγαθοῖσιν.] Vitruuius *cap.5. lib.8. Architect.* dat has aquæ bonæ notas, si sit profluens & aperta, si post ebullitionem nihil limosum aut arenosum in aheno relinquat, si quò peruenerit, sine muco sit, & si incolæ sint robusto corpore, colore nitido, cruribus non vitiosis, oculis non lippis. TEXT. XV.

35 ὁκόσοισι δὲ ὕδατα π.] Auicennas *lib.1. fen.2. doct.2. cap.16.* inquit paludes esse sine motu, aut si quem habeant, eum esse tardum, nec ab aquæ virtute, sed ab eius multitudine dependere, ideoque palustres aquæ lacustribus sunt deteriores: lacus enim & motum habet, & palude profundior est. Estq; lacus triplex. Quidam contentus suis aquis se suo continet alueo. Quidam fluuios excipit & emittit, vt lacus Lemanus Rhodanum. Quidam est fluminis fons. Hę duæ posteriores lacuum species laudabiles sunt & salubres, si bene se ad ventos habeant. Benè autem se habet ad ventum lacustris ciuitas, si qui ventus in ea frequentius flat sit contrarius situi lacus: vt si lacus est meridionalis, boreas confert: si septentrionalis, auster. XVI.

36 ἢν μὲν τὸ θέρος.] Hippocrates hoc loco mentionem facit regionis meridionalis, in qua pro quantitate & qualitate humorum excrementitiorum morbi fiunt, ideoque meminit siccitatis tantum & humiditatis, quod ab illa sint excrementa pauca, ab hac multa, vt notat Galenus *ad particulam 8. sectionis 1. lib.1. epid.* XVII.

37 τὸ θέρος αὐχμηρὸν.] Galenus *ad aph.14. sect.3.* inquit αὐχμηρὸν nihil aliud esse, quàm siccum & sine aquis. Et quamuis intelligatur præcipuè de summa siccitate, tamen interdum ad moderatiorem siccitatem

refertur, vt notat Galen. *ad part.4. ſect.1. lib. 1. epid.* Eſt autem αὐχμὸς duplex, ſecundum Hippocratem *part.15. ſect. 3 lib. de humorib.* borealis ſcilicet & auſtralis, cùm videlicet auſter ſiccus eſt, & appellatur λευκόνοτος. Hic igitur ſiccitatem auſtralem moderatam intelligere debemus, quia Gal. *ad part.2. ſect.7. lib.6. epid.* exponens aph. 15. lib. 3. quo ſcribitur ſiccitates imbribus ſalubriores, ait textum de moderata ſiccitate intelligendum, quoniam ſi fuerit in exceſſu ſummo, grauiſſimas affert noxas.

38 τῇσιν παύονται αἱ.] Qua forma dixit Hippocrates *ad aph. 14. lib. 3.* autumnum ſiccum conducere hominibus & mulieribus natura humidis. Eadem hic æſtas ſicca confert meridionalibus, quia corrigit humidum temperamentum. Erunt autem breues morbi & ſalutares qualitate & quantitate humoris, quoniam quales humores, tales morbi, teſte Galeno *ad part.14. ſect.3. lib. de humoribus.* Eſt autem humor qualitate bilioſus, cuius proprium eſt coctioni prodeſſe, meatus excrementorum apertos efficere. Galenus *in lib. de denotatione dogmat. Hippocr. & Plat.* Adde quod humor omnis quò tenuior eſt & calidior, eò celerius excernitur, vt notat Galenus *ad prognoſt. 23. lib. 3.* Eſt autem humor quantitate paucus, quia quod ſiccum eſt excrementa digerit. Erit igitur morbus breuis & ſalutaris.

39 πολυχρόνιοι γίνονται.] Galenus *ad prognoſt. 23. lib. 3.* tres omnino facit cauſas diuturnitatis in morbis, ſi æger delinquat, ſi pars curatu difficilis afficitur, ſi multi humores & craſſi. At verò cœlo pluuioſo frigidi humores, craſſi & multi dominantur in corpore, vt notat Galenus *ad aph.16. lib.3.* Erunt igitur morbi diuturni, quia natura multo tempore indigebit ad coctionem humoris.

40 καὶ φαγεδαίνας κοινῶς ἐγγίνεσθαι.] Phagedænæ dicuntur vlcera depaſcentia & cutim & carnem ſubiectam, vt definit Galenus *ad part. 29. ſect. 3. lib. de humoribus.* Diſtinguuntur autem phagedænæ & nomæ, teſte Galeno *capite primo lib. ſexti de compoſ. medicament. per genera*, quod phagedæna ſit vlcus cum tumore ſine putredine, noma vero ſit vlcus ſine tumore cum putredine. Cauſæ vero phagedænarum ſunt perennis humoris affluxus & temperamenti in parte corruptio, authore Galeno *ad aph. 45. lib. 6.*

41 ἢν ἕλκος ἐγγίνηται.] Hippocrates *ad part. 13. ſect. 3. lib. de humorib.* inquit ab auſtro fieri vlcera madentia in ore & pudendis. In ore, quoniam hæc pars plurimum humoris habeat & glandulas, à quibus humoris perennis generatio ſuggeritur. In pudendis, quoniam hæ partes natura ſunt humidæ calidæ ſine difflatione, ideoque facilè putrent, teſte Galeno *ad aph. 21. lib. 3.* Hippocrates autem *in lib. 2. prorrh.* ad prædicendum vlcus tria neceſſaria requirit, hominum ſpeciem, vt ſi ſint corruptis humoribus, cuiuſmodi ſunt meridionales; ætatem, vt ſi ſint viri aut ſenes, phagedænas habebunt; locum, vt ſunt axillæ, & inguina.

42 τὰ δὲ χειμῶνος ψυχροῦ, πνίγη] Proponit Hippocrates omni ſexui com-

munia quatuor incommoda ex hyeme frigida : ea autem sunt caput humidum, alui profluuium, natura hominum debilis, cibi potusque fastidium.

43 τοῖς τε ἀνθρώποις τάς] Duobus modis humores in capite esse possunt, per congestionem, vt cum dixit Galenus *comm. ad part.* 7*.sect.* 2*. lib.* 1*. epid.* ab aëre frigido coaceruari humores ; & per fluxionem, vt cum dixit Hippocrates *lib.* 4*. de morbis, & in lib. de gland.* caput, quoniam sit instar cucurbitæ humores pituitosos attrahere. Cerebrum igitur quoniam sua natura frigidum est, ab aëre frigido læditur, & pituitosum redditur : à calido autem leuatur, quoniam vi caloris digeruntur humores. Galenus *comm. ad aph.*18. *&* 22*. lib.*5.

44 ἐκταράσσεσθαι ἀπὸ τῆς κεφαλῆς.] Scripsit Hippocrates *part.* 15*.sect.* 3*.lib.*3*. epid.* vrinas aliquando esse turbatas. Et Galenus exponit, turbari nihil aliud esse, quàm cum mordicatione & dolore excerni. Quod fit & hoc loco, tam quia hæc pituita putredine salsa fit, quàm quia nimia frigiditas morsum humorum affert, vt notat Philotheus *ad aph.* 42*. lib.* 6.

45 τῆς κεφαλῆς.] Galenus *cap.* 11*.lib.*1*. crisεῶν, & ad prognost.* 13*.lib.* 2. duplicem facit deiectionem. Vna est excrementum ventriculi & chyli. Altera est excrementum humorum totius corporis, quoniam ventriculus per hepatis venas toti corpori communicat, vt scribit Galenus *ad prognost. superius positum.* Communicat autem capiti per gulam. Caput igitur, si debilem habet expultricem facultatem, patitur apoplexias, epilepsias & parotidas. Si verò habet expultricem facultatem fortem, aut se exonerat in oculos, & fiunt ophthalmiæ ; aut in aures, & fiunt purulentæ : aut in nares, & est coryza ; aut in os, & fit catarrhus; aut in asperam arteriam & pulmonem, & fiunt tusses & tabes; aut in ventriculum, & diarrhœæ, vt notat Hippocrates *in lib. de gland.*

46 ἔπι εἴδεα.] Per εἴδεα, id est, formas intelligit Hippocrates constitutiones corporum secundum bonam vel malam habitudinem, vt patet ex lib. 2. prorrh. in quo facit hominum formas quasdam bonas, quasdam malas. Bonæ sunt, si homines fuerint leues, bonis visceribus præditi, nec duri, nec carnosi. Malæ sunt, si homines fuerint pallidi, si humidi, cuiusmodi sunt homines meridionales, vt docebit Hippocrates ad finem huius libri.

47 ἐσθίειν δ' οὐκ ἀγαθούς.] Quotiescunque chyli & primæ coctionis excrementum vitiosum est, ventriculus malè habet : At quotiescunque deiectio humorum totius corporis, qui per ventriculum expurgantur, mala est, non necesse est ventriculum malè habere, vt docet Hippocrates *in lib. de gland.* & Gal. *ad progn.* 13 *lib.* 2. Vt igitur doceat Hippocrates ab assidua fluxione ventriculum in consensum rapi, inquit homines malè esse comparatos ad cibum & potum. Sic idem author *part.* 13. *sect.*3*.lib.*3*.epid.* cum aluo turbata coniungit cibi fastidium. Item *part.* 29*.sect.*2*.lib.*1*. epid.* Et Galenus *in comm.* causam fastidij ait esse portionem fluxionis, quæ in ventriculum decumbebat : illa enim faciebat,

vt nullus esset suctionis sensus, sine quo nulla fames, teste Galeno *cap. 7. lib. 1. de symptomatum causis.*

48 ὁκόσοι μὲν γὰρ κεφαλὰς ἀσθενέας.] Immodicus enim omnis vini vsus hoc habet commune, vt neruos & mentem feriat, teste Galeno *ad agrum 8. sect. 2. lib. 3. epid.* ideoque vinum promptè replet neruos, & conuulsionem facit, *per aph. 5 lib. 5.* Cum igitur proprium sit partis debilis primò & plurimum affligi, qui sunt capite debili, non sunt ad vinum accommodati.

49 ἡ γὰρ κραιπάλη μᾶλλον πιέζει.] Galenus *ad aph. 5. lib. 5.* crapulam definit omnem capitis à vino grauitatem, quia κάρηνον πάλλει, id est, caput percellit. Et Aristoteles *probl. 17. sect. 3.* crapulam à temulentia distinguit, quod hæc mentem alienet, illa constante mente dolorem adferat.

Morbi vero hi ipsis vernaculi sunt. Primùm quidem mulieres morbosæ ac fluxionibus obnoxiæ sunt: deinde multæ steriles sunt ex morbo, non à natura, & frequenter abortiunt. Pueris verò incidunt conuulsiones ac anhelationes, quæ morbus puerorum, & sacer esse putantur: viris autem dysenteriæ, & alui profluuia, & febres lenes, diuturnæ hybernæ, & pustulæ nocturnæ multæ, & hæmorrhoides in sede. Pleuritides autē & peripneumoniæ, & febres ardētes, & quicunque acuti morbi putantur, non multū proueniunt. Non enim fieri potest, vt isti morbi vigeant, vbi alui liquidæ existunt. Lippitudines verò oboriuntur humidæ, non graues, nec diuturnæ: si non ex mutatione temporum morbus

TEXT. XIX.

Νοσήματά δὲ τάδε ἐπιχώρια εἶναι. πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας νοσερὰς καὶ ῥοώδεας εἶναι. ἔπειτα πολλὰς ἀτόκους ὑπὸ νόσου καὶ οὐ φύσει, ἐκτιτρώσκεσθαί τε πυκνά. τοῖσί τε παιδίοισιν ἐπιπίπτειν σπασμοὺς καὶ ἄσθματα ἃ νομίζουσιν τὸ παιδίον ποιέειν, καὶ ἱερὴν νοῦσον εἶναι. τοῖσι δ' ἄνδρασιν, δυσεντερίας, καὶ διαῤῥοίας, καὶ ἠπιάλους, καὶ πυρετοὺς πολυχρονίους χειμερινούς, καὶ ἐπινυκτίδας πολλάς, καὶ αἱμοῤῥοΐδας ἐν τῇ ἕδρῃ. πλευρίτιδες δὲ καὶ περιπνευμονίαι καὶ καῦσοι, καὶ ὁκόσα ὀξέα νοσήματα νομίζονται, οὐκ ἐγγίνονται πολλά. οὐ γὰρ οἷόν τε, ὅκου ἂν κοιλίαι ὑγραὶ ἔωσι, τὰς νούσους ταύτας ἰσχύειν. ὀφθαλμίαι τε ἐγγίνονται ὑγραὶ καὶ οὐ χαλεπαί, ὀλιγοχρόνιοι, ἢν μή τι κατάσχῃ νόσημα πάγ-

κοινὸν ἐκ μεταβολῆς. καὶ ὁκόταν τὰ πεντήκοντα ἔτεα ὑπερβάλλωσι, κατάῤῥοι ἐπιγινόμενοι ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου παραπληκτικοὺς ποιέουσι τοὺς ἀνθρώπους, ὁκόταν ἐξαίφνης ἡλιωθέωσι τὴν κεφαλὴν ἢ ῥιγώσωσι. ταῦτα μὲν τὰ νοσήματα αὐτέοισιν ἐπιχώριά ἐστιν. χωρὶς δὲ ἤν τι πάγκοινον κατάσχῃ νόσημα ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων, καὶ τουτέου μετέχουσιν.

TEXT. XX. ὁκόσαι δ' ἀντικέονται τουτέων πρὸς τὰ πνεύματα τὰ ψυχρὰ μεταξὺ τῶν δυσμέων τῶν θερινῶν τοῦ ἡλίου, καὶ τῆς ἀνατολῆς τῆς θερινῆς, καὶ αὐτῇσι ταῦτα τὰ πνεύματα ἐπιχώριά ἐστιν. τοῦ δὲ νότου καὶ τῶν θερμῶν πνευμάτων σκέπη. ὧδε ἔχει περὶ τῶν πόλεων τουτέων. πρῶτον μὲν τὰ ὕδατα τὰ σκληρά τε καὶ ψυχρὰ, ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος γλυκαίνεται. τοὺς δὲ ἀνθρώπους εὐτόνους τε καὶ σκελιφροὺς ἀνάγκη εἶναι. τούς τε πλείους τὰς κοιλίας ἀτεράμνους ἔχειν καὶ σκληρὰς τὰς κάτω. τὰς δὲ ἄνω εὐροωτέρας. χολώδεας τε μᾶλλον ἢ φλεγματίας εἶναι. τὰς δὲ κεφαλὰς ὑγιηρὰς ἔχουσι καὶ σκληράς. ῥηγματίαι τε εἰσὶν ἐπὶ τὸ πλῆθος.

aliquis occupet. Et vbi quinquageſimum annum tranſgreſſi fuerint, defluxiones ex cerebro accedentes homines ſemiſyderatos faciũt, vbi caput derepente inſolatum, aut frigore correptum fuerit. Atque hi quidem morbi ipſis vernaculi ſunt: præterquam ſi morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur, nam & huius participes fiunt. Quæcunque verò ciuitates his ex oppoſito ſitæ ſunt ad ventos frigidos, inter occaſum ſolis æſtiuum, & orientem æſtiuum: etiam ipſis hi venti vernaculi ac indigenæ ſunt: ab auſtro vero & calidis ventis protectæ ſunt: & de his vrbibus ſic ſe res habet. Primum quidem aquæ & duræ & frigidæ, vt plurimum dulceſcunt. Homines autem vegetos & ſiccos eſſe neceſſe eſt: & plures ventres infernos crudos ac duros habere, ſupernos vero fluidiores: bilioſoſq; magis quàm pituitoſos eſſe. Capita vero ſana ac dura habent, & plerumque vaſa ipſis rumpuntur.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Νοσήματα τι πάθη. Hippocrates morbis vniuersalibus æstatis atque hyemis subiungit vernaculos, quod per certas tempestates non describit, quia in omni eueniunt, sed præcipuè in ea quæ suæ intemperiei est accommodatior per aph. 19. lib. 3.

TEXT. XIX. Πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας.] Incipit Hippocrates enumerationem morborum vernaculorum à mulieribus, quoniam hæ natura humidiores in humida regione præcipuè afficiuntur. Sunt autem ῥοώδεις, quæ in alia atque alia parte fluxionem patiuntur, nimiamque per vomitus, aut deiectiones excretionem. Et hanc affectionem Galenus *lib. 5. aph.* ῥευματικὴν διάθεσιν appellat. Cornelius item Celsus meminit quarundam febrium, quas Græci ῥοώδεις appellant (ipse interpretatur fluentes) in quibus per vomitum & deiectionem nimium de humoribus excernitur.

πολλαὶ ἄτοκοι.] Omnis sterilitas fit, aut oris vteri vitio, aut ipsius vteri & ligamentorum eius, aut cotyledonum, aut mensium. Os vteri vitiosum est tribus modis; morbo, vt si scirrho, vel inflammatione durum fit, *aph. 53. lib. 5.* prolapsu, vt si foras exciderit, 2. *de morbis mulierum*; & mala conformatione: Quæ mala conformatio quadruplex est. Aut enim os vteri clauditur per se, aut extraneo pondere, vt omento pinguiore, *aph. 46. lib. 5.* Aut os vteri est auersum, aduersum, distortum, *lib. 1. de morb. mulier. & de sterilib.* tumque impeditur quominus fiat seminis exceptio: curatioque huius malæ conformationis eo scopo molienda, vt os vteri rectum fiat, 1. *de morb. mulier.* Vteri vitio fiunt mulieres steriles rursum tribus modis intemperie, de sua sede dimotione, morbo. Intemperies si est summa, non fit conceptio; si mediocris, & mulier cum viro contrariæ temperaturæ coëat, fiet conceptio. Galen. *comm. ad aph. 62. lib. 5.* Humiditas, quæ geniturам extinguit, & tum postera aut tertia die vterus semen reiicit, caputque cum vtero curandum, *lib. 3. de morb. mulier.* Frigiditas cum densitate, quia secundinas gignere non potest: & si gignit, ob corporis vteri densitatem agglutinare non potest: & si agglutinat, ob paucos menses nutrire non potest fœtum. Postremæ intemperies sunt siccitas & calor, quæ duo semen corrumpunt, & tum sexta aut septima die excernitur, 1. *de morbis mulier.* Et in his vniuersum corpus curandum iubet Hippocrates *ibid.* Dignoscunturque hæ omnes intemperies suffitu, qui tum ad caput, os & nares peruenire non potest, vt notat Galenus *ad aph. 62. lib. 5.* Dimouetur vterus de sua sede, teste Hippocr. *lib. 2. de morb. mulier.* quatuor modis; ascensu, descensu, inclinatione, prolapsu. Ascendit ad caput, cor, diaphragma, hepar, lienem: Descendit ad pudendum, vesi-

cam, coxam, inguina: Inclinat ad latus & ad lumbos: Prolabitur, ea quæ foras fit procidentia. Morbus in vtero fit duobus modis, per συμπαθείαν ἢ πρωτοπάθειαν. Per sympathiam, vt si acutè ægrotet ægra, *aph.* 31. *lib.* 5. si aluus multum fluat, *aph.* 34. *lib.* 5. si febre corpus extenuetur *ibid.* Per protopathiam, vt si in ipsius corpore sit morbus, vt erysipelas, *aph.* 43. *lib.* 5. Vitium in cotyledonibus est, si mucore plenæ sint: tum enim vterum grauant, & propter obstructionem sanguinem sufficientem non suggerunt ad nutritionem fœtus, *aph.* 45. *lib.* 5. Vitium in mensibus est quintuplex, si nimium profluant, *aph.* 60. *lib.* 5. si auertantur ad mammas, *aph.* 52. *lib.* 5. si multi, si pauci, si vitiosi. Et vitiosi sunt quinque modis, si biliosi, pituitosi, melancholici, purulenti, serosi. Hæ omnes causæ ad quatuor capita referuntur; inopiam excipiẽdi, concipiendi, nutriendi, gerendi. Quæ igitur natura excipere non possunt, vt si os auersum habeant, & natura rursum concipere non possunt, ob natiuam vteri intemperiem, de qua aph. 62. lib. 5. hæ vocantur natura steriles. Quæ verò & semen excipiunt, & concipiunt, sed gerere aut nutrire non possunt, hæ dicuntur morbo steriles, vt hæ mulieres, quia humidiorem vterum habent, & alui profluuio sæpissimè laborant, fœtum non gerunt.

ἐκτιτρώσκεσθαί τι πυκνά.] Hippocrates *in lib. de nat. puer.* inquit abortnm fieri quotiescunque ex violenta aliqua affectione fœtus rumpens membranas exit. Violentæ autem istæ affectiones in meridionali regione sunt aër frigidior, *per aph.* 12. *l.* 3. frequens alui profluuium, & ligamentorum vteri laxitas, à capitis pituitosa defluxione; tum mensium paucitas & prauitas.

τοῖσι δὲ παιδίοισιν.] Mulieribus pueros subiungit, quod hi sint humidiores & debiles, proindeque facilius afficiantur. Galenus autem hunc textum citans *part.* 5. *sect.* 1. *lib.* 6. *epid* inquit post particulam παιδίοι, subintelligendum esse πάθος, vt sit hic Hippocratis sensus: Incidunt pueris conuulsiones & asthmata, quæ duo puerilem morbum efficiunt, quem sacrum morbum esse putant, id est, epilepsiam. Et Hippocrates *in lib. de sacro morbo*, ait in paroxysmo epileptico sanguinem, qui cum spiritu solebat ad caput ferri, obstructione coërceri, ideoque pulmonem repletum angustiorem reddi, vnde asthma & locutionis priuatio (ἀφωνία Hippocrati dicitur.)

σπασμοὺς καὶ ἄσθματα.] Pars omnis quæ debilior est primum afficitur, puerorum autem nerui debiles sunt & caput, vt docet Galenus *comm. ad part.* 24. *sect.* 2. *lib.* 1. *epid.* ob id conuelluntur. Adde quod dentium dolores, vigiliæ & ex voracitate cruditates conuulsionis causam augent. Galenus *ad aph.* 25. *lib.* 5. Asthmatis autem tres omnino sunt causæ, calor immodicus, vt in hominibus qui exercentur; tuberculum in pulmone, vnde dixit Hippocrates *aph.* 46. *lib.* 6. *Qui ex asthmate gibbi fiunt, ante pubertatem moriuntur*; & angustia pulmonis, quæ fit vel repleta regione, quæ est inter thoracem & pulmonem; vel repletis pulmonis arteriis, vel inflammato pulmone, aspera arteria, larynge.

Galenus *ad aph*.34. *lib*. 4. Pueris igitur ob repletas pulmonis arterias inter tempus pubertatis, & dentium fit asthma, id est, crebra & difficilis respiratio. Galenus *ad aph*.26.*lib*.3.

καὶ ἱερῆν νοῦσον ἐπί.] Pueri post septimum mensem incipiunt esse epileptici, si nascantur interlunio, si concipiantur fluentibus mensibus, & si caput nimis humidum habeant, quod fit teste Hippocr. *in lib. de sacro morbo*, cum caput in sua conformatione non repurgatur. Differtque hic morbus ab apoplexia, quod in hac sit omnimoda priuatio motus & sensus; & à conuulsione, quod conuulsio sit partis, epilepsia totius corporis.

τοῖσι δὲ ἀνδρῶν, δυσεντερείας.] Hippocrates in enumeratione morborum qui viris contingunt, semper progreditur à grauioribus ad mitiores. Et quoniam dysenteria & diarrhœa ab iisdem causis fiunt, nempe à pituita & bile, teste Hippocr. *in lib. de affect*. ob id coniunxit, virisque assignauit, quod in hac ætate bilis flaua generetur. Distinguuntur autem inter se, quod dysenteria fit cum exulceratione, diarrhœa autem cum sola mordicatione, quæ coctionem vel distributionem impedit. Galenus *ad aph*.30.*lib* 3.

καὶ ἠπιάλους, καὶ πυρετοὺς πολυχρονίους.] Vbi pituitæ vitreæ pars putruit, pars sine putredine in venis est, tum fit febris epiala, ab ἠπιάω, id est, mitesco, quia mitis est, in qua simul & in eadem parte calor & frigus sentitur. Et in hoc differt à λειπυρία, in qua extima frigent, intima vruntur. Arabes tamen febrem epialam pro leipyria sumunt. Febres autem hæ longæ dicuntur quotidianæ, quas Gal. *ad part*. 21. *lib*. 6. *epid*. periculosas appellat, ob longum tempus, in quo metus est, ne vires deficiant.

καὶ ἐπινυκτίδας πολλάς.] Corn. Celsus pustulas appellat pessimi coloris cum vlcerosa sanie, quæ & noctu gignuntur, & noctu magis excruciant, quia noctu per confectionem alimenti, calor auctus excrementa dilatat sub cutim, quæ die per vigilias difflantur.

καὶ αἱμορροΐδας.] Hippocrates *in lib. de hæmorrh*. ait fieri hæmorrhoidas, cum bilis & pituita ad intestini recti venas decumbunt, & putrefactæ ipsas calfaciunt: venæ autem calefactæ à vicinis attrahunt, & impletæ sanguinem melancholicum profundunt. Galenus *ad aph*. 11. *lib*.6.

πλευρίτιδες δὲ καὶ περιπνευμονίαι.] Hippocrates *part*. 26. *sect*.3.*lib*. *de humorib*.& *part*. 37.*sect*.3.*lib*.6.*epid*. inquit hæmorrhoidibus laborantes, nec pleuritide, nec peripneumonia, nec aliis fortè corripi morbis. Et Auenzoar *in epistola ad Regem*, ait nullis corripi morbis, quibus aluus est humida. Quia igitur viri meridionales diarrhœas & hæmorrhoidas patiuntur, ob id his morbis acutis obnoxij non sunt. Tertia ratio additur ex aph. 33.l.3. quod qui acidum eructant, id est, pituitosi, cuiusmodi sunt meridionales homines, rarò pleuritide tentantur, cum quia costarum membrana solida est, proinde per ipsam non penetrat: tum quia hæc pituita salsa est, & reuulsoriam deiectionem facit.

καὶ καῦσοι.] Καῦσος, id est, febris ardens, duas habet in corpore sedes, ventri-

ventriculi & hepatis primas venas, teste Galeno *ad part.* 20. *sect.* 2. *lib.* 1. *epid.* & inflammationem cerebri, teste Galeno *part.* 18. *comm.* 1. *in* 1. *prorrh.* Symptomata duo habet pathognomonica; ardorem ingentem, & sitim perpetuam. Fit vbi venulæ arefactæ ichores biliosos ad se attraxerint, teste Hippocr. *part.* 1. *sect.* 4. *lib. de vict. acut.* Cum igitur meridionales homines habeant semper venas madidas, & pituita plenas, nullos ichores biliosos attrahere possunt.

ἐγγίνεσθαι ὀξέα νοσήματα.] Acuti morbi, teste Galeno *ad aph.* 19. *lib.* 2. duo sunt genera. Vnum, cum humores calidiores per vniuersum corpus diffusi accenduntur, vt in febre continua. Alterum, cum humores in partem aliquam impacti morbum efficiunt. Huius generis rursum duæ species sunt; vna sine febre, vt apoplexia; altera cum febre, vt pleuritis. Qui sine febre sunt, non sunt propriè acuti, teste Galeno, *cap.* 9. *lib.* 3. *de difficult. respirat.* Qui cum febre, habentque vehementem, velocem & periculosum motum, hi propriè dicuntur acuti, & sunt, teste Hippocrate *lib.* 1. *de morbis*, causus, phrenitis peripneumonia angina, vua, id est, gurgulionis inflammatio, pleuritis. Et *particula* 8. *lib.* 1. *de victus ratione in morbis acutis* lethargum adiungit.

ὅκου δὲ κοιλίας ὑγραί.] Hippocrates demonstrationem affert, cur meridionales homines acutis morbis rarò corripiantur, propterea quod aluum humidam habeant: aluus enim humida facit, vt melius degatur, *per aphorism.* 53. *lib.* 2. Sed ex Galeno *ad prognost.* 14. *lib.* 2. duplex est aluus humida. Vna, quæ fit per impedimentum distributionis cibi, & hæc crebro cum stridore, & in pauca quantitate fit, estque semper mala. Altera fit, cum iecur & lien reliquumque corpus per venas mesaraïcas in intestina repurgantur: eaque bona est, si vniuersim fiat & rarò. Et hanc intelligit hoc loco Hippocrates, laudabilisque est, etiam si cruda, quoniam ex Galeno *ad part.* 1. *sect.* 1. *lib. de humorib.* crudus humor si liquidus est, euacuatur tutò, antequàm à calore febrili accendatur. Et Galenus *in libris de alimentis*, aluum humidam cruditatum medelam vocat.

ὀφθαλμίας τε.] Ophthalmia duplex. Vna sicca, in qua nihil per poros excernitur, eiusque est humor biliosus & paucus, teste Galeno *ad aph.* 12. *lib.* 3. Alia est humida, in qua aliquid excernitur, eiusque humor pituitosus est, naturaque sua longa est. Sed quia, *per aph* 17. *lib.* 6. lippientem alui profluuio corripi bonum est, idcirco pituitosæ ophthalmiæ apud meridionales sunt breues. Fiunt autem ophthalmiæ apud ipsos, quoniam austro impletur caput: Omni autem repleto capiti ophthalmiæ molestæ fiunt, *per aph.* 11. *lib.* 3.

ἢν μὴ πανδήμιον κατάσχῃ νόσημα.] Ait breues futuras ophthalmias, nisi aëris vitio contingant. Nam Hippocrates *part.* 6 *sect.* 2. *lib.* 1. *epid.* narrat ophthalmias humidas, crudas & longas fuisse. Cuius rationem reddit Galenus, quod flatus ventorum essent continui, quod multum frigus dolorem oculi ingeneraret, & quod humoris perennis generatio fieret.

ἢ ὁκόταν πιπίκοσι.] Hippocrates *aph. 31. lib. 3.* inquit senibus fieri destillationes, propterea quod eorum caput facile refrigeratur. Ex his autem destillationibus cur paraplegiæ fiant, patet ex aph. 57. lib. 6. apoplexias fieri à quadragesimo anno ad sexagesimum. Est autem apoplexiæ & paraplegiæ eadem materia.

παραπληκτικούς ποιέουσι.] Hippocrates *part. 1. sect. 7. lib. 6. epid.* meminit destillationis multiplicis, ex qua nonnullis tusses, aliis anginæ, quibusdam paraplegiæ fiebant, quæ est, vt testatur Galenus *in comm.* vbi aliqua corporis pars, propter obstructionem neruorum ab humore crasso, motu & sensu priuata est, quod fit frigido cœlo, natiuo calore debili, adeo vt nec vomitu, nec hæmorrhagia capitis excrementa repurgari possint, vt testatur idem Hippocr. *part. 59. sect. 2. lib. 1. epid.* Fit autem paraplegia duobus modis, primario & per se, & per successionem: omnes enim apoplectici si euadunt, fiunt paraplectici. Gal. *in comm. ad part. 59. sect. 2. lib. 1. epid.*

ὁκόταν ἐξαίφνης ἡλιωθῶσι τὴν] Galenus *ad part. 1. sect. 7. lib. 6. epid.* ponit quatuor causas immutationis in nobis; aptitudinē naturæ, ætatem, genus & conditionem vitæ seruilis aut liberę. Hic ad viros quinquagenarios tres causæ referri possunt, aptitudo naturæ debilis, ætas, & genus, siue sexus. Cum enim viri frequentius domo exeant, & exponantur iniuriis aëris, idcirco à sole vel frigore læduntur magis, vt ibidem notat Hipp. Sol igitur cerebrum calefecit, ipsum calefactum humores sursum attraxit, attractos sol liquauit, ipsi liquati decubuerunt in partem aliquam neruosam, vnde paraplegia. Contra verò frigus, teste Hippocrate *lib. 2. de diata,* cerebrum humectauit, ibique humorum concretionem fecit, tum cerebro compresso eorundem facta est in aliquam partem expressio, teste Galeno *ad aph. 12. lib. 3.* vnde paraplegia.

TEXT. XX. ὁκόσαι δὲ ἀπηκίονται.] Vt Hippocrates meridionalium, sic nunc septentrionalium constitutionem exponit ab aquarum duritie, robore hominum, ventris inferioris siccitate, superioris humiditate fluxili, & capitis robore.

τὰ πνεύματα ἐπιχώρειά ἐστι.] Ventos intelligit tres, vt patet ex Galeni descriptione *ad part. 13. sect. 3. lib. de humoribus.* Quorum primus est ab oriente, & dicitur Aquilo; alter est ab occasu, & vocatur Caurus; tertius est à polo, & est Aparctias siue Septentrio.

πρῶτον μὲν τὰ ὕδατα τὰ σκληρά τε.] Auicennas optimas ait esse aquas, quæ feruntur ad orientem æstiuum, & ad sepentrionem: malas autem quæ ad meridiem & occasum. Aquæ enim orientem spectantes, à tepido calore solis coquuntur, & dulces, id est, potabiles redduntur: Galenus enim *cap. 4. lib. 1. de simpl.* aquam potabilem & dulcem semper coniungit. Et *cap. 6. eiusd.* quam aquam dulcem dixit, paulò post potabilem appellat. Dulce enim fit, quotiescumque humidum aqueum à temperato calore cum sicco terrestri coniungitur. Et ex Galeno *cap. 37. eiusd.* dulcia sunt, quæ cum voluptate assumpta, implent: quæ ve-

ro sine voluptate implent, illa vocantur pinguia. Hic igitur aquæ duræ dicuntur fieri dulces, cum à sole coquuntur, & ad potum habiles redduntur.

ὀπτικῆς τε ϗ σκελιφρὰς.] Id patet ex aph. 17. lib. 3. Vbi inquit aquilone corpora reddi colorationa & expeditiora, id est, cum integris naturalibus & animalibus actionibus. Cum enim tum plurimum calor natiuus vigeat vi antiperistaseos, facultates naturales benè habent: & cum corpus ab omnibus excrementis optimè repurgetur, carnesque condensentur, facultates animales sunt vegetiores, quia secundum Hippocr. *in lib. de affect. inter.* quæ habent vim condensandi, illa roborant. Nec est quod quis obiiciat, frigore densari cutim, & corporis difflationem impediri, cum Galenus *aph. 17. lib. 1.* apertè respondeat, sanos vrgente frigore copiosius expurgari per insensilem transpirationem, ægros verò minus.

τὰς κοιλίας.] Omnis deiectio dura est tribus tantum modis, aut assatis propter nimium calorem excrementis, vt in febribus, tumque fiunt deiectiones *αἰγεραδώδεις*, id est, caprinis stercoribus similes; aut propterea quod hepar per venas mesaraïcas omnem intestinorum humiditatem exsugit; aut quia diutius in corpore excrementa retinentur. Gal. *ad aph. 5. lib. 3.* Duobus his posterioribus modis aluus hominum septentrionalium fit dura: nam Aquilo vniuersum corporis habitum exsiccat, siccatæ partes à vicinis alimentum attrahunt, heparque tandem exhaustum ab intestinis humorem mutuatur, sicque fæces redduntur duræ, quia terrestres. Præter hæc, cum ex aph. 20. lib. 2. bile intestina mordicante liquida reddatur deiectio, septentrionaliumque hominum bilis sursum feratur, vt hic Hippocrates declarat, cum inquit, superiores ventres esse fluidiores, intestinis ad excretionem non prouocatis excrementa morantur, & mora redduntur arida. Eiusmodi autem aluus dura appellatur cruda, quoniam ex Galeno *cap. 11. lib. 1. crisεῶν*, omne excrementum tenue, album, inæquale, & humoris expers, incoctum, & crudum est. Si enim *ex prognost. 17. lib. 2.* sola mollis & constans deiectio cocta est, si *ex progn. 47. lib. 2.* omne quod suo sero destituitur, merum est; & omne merum, crudum: dura deiectio cruda sit oportet. Accedit vltima ratio *ex part. 17. comm. 3. in 1. prorrh.* Quandiu bilis cum sanguine sursum fertur, tandiu cruda in corpore redduntur omnia.

τὰς κάτω. τὰς δὲ ἄνω.] Gal. exponens *part. 14. sect. 2. lib. 6. epid. & part. 22. sect. 2. lib. de humor.* inquit iecur esse corporis medium inter superiora & inferiora: stomachum autem, id est, os ventriculi superius, & hepatis gibba mediam naturam inter superius & inferius obtinere. Quæcunque igitur capacitates sunt supra iecur, dicuntur esse superiores ventres: quæ verò infra, inferiores. Sic & Galenus *comm. in progn. 13. lib. 2. & 11. cap. lib. 1. κρισεῶν*, ventriculum & omnem regionem intestinorum, inferiorem ventrem appellat. Interdum tamen ventriculus facta ad intestina comparatione superior venter appellatur, vt cum di-

cit Hippocrates *aph. 4. lib. 4. Æstate superiorem ventrem, hyeme inferiorem purgare oportet.*

χολώδεας τε καὶ μᾶλλον, ἢ φλεγματίας.] Galenus *cap. 6. lib. 2. de temper.* inquit ex cute dignosci posse temperamentum totius corporis in regione temperata, sed in intemperata non item: meridionales enim extimis partibus calidissimi sunt calido externo, non natiuo; interioribus verò partibus calor innatus deest. Contrà septentrionalium hominum cutis est alba, nuda & sine pilis: tamen interiores partes plurimum calent, vnde redduntur animosi, audaces & temerarij. Cui consentit axioma Hippocr. 6. epid. *Frigidior, in frigida regione calidior erit.* Atque id intelligitur de sanis.

τάς δὲ κεφαλὰς ὑγιηρὰς ἔχουσι καὶ σκληράς,] Squalor, siue siccitas est duplex; cum calore vna, cum frigore altera. Siccitas cum calore firmum facit caput. Siccitas cum frigore leuissimum facit caput, quia ab omnibus excrementis optimè repurgatum: Atque id de eo frigore intelligendum, quod antiperistasin non superat. Alia ratio est ex Galeno *ad part. 3. sect. 1. & ad part. 25. sect. 6. lib. 6. epid.* In quibus partes capitis à multo & bono sanguine efformantur, in his & animales facultates & naturales potentissimæ sunt, reliquumque corpus robustum sequitur conformationem capitis. At septentrionalium hominum multus est & bonus sanguis, quoniam hi calido innato abundant, proinde caput optimè constitutum ipsis est. Adde quod durities capitis iniuriis externis facilius & potentius resistit.

ῥηξίματίαι.] Hippocrates *lib. 6. epid. part. 14. sect. 3.* inquit à frigore frangi venas, ob vasorum angustiam & densitatem. Et Galenus *cap. 8. lib. 4. de loc. aff.* inquit tunicas frigiditate duras fieri, & ad extensionem contumaces reddi, ideoque ob motum vehementem, humorum abundantiam vel solam, vel cum multo spiritu flatuoso & crudo rumpi. Galenus autem *in libello de dictionibus Hippocraticis*, inquit ῥηξιματίας appellari eos omnes, quibus intus aliquid ruptum est. Sunt igitur septentrionales ῥηξιματίαι, quoniam frigore eorum vasa facile rumpuntur, præcipuéque vasa pectoris, propter varias tusses, quæ à frigido cœlo excitantur, vt patet *ex 5. aphorism.* & Galeno *ad part. 8. sect. 1. lib. 1. epid.* vbi inquit frigido & sicco cœlo pulmonem & pectus laborare.

MOrbi autem populares ipsis hi sunt, pleuritides, & quos acutos esse receptum est. Necesse est autem ita habere, quum alui duræ existant. Et suppurati multi ex omni occasione

Νοσεύματα δὲ αὐτέοισιν ἐπιδημεῖ, πλευρίτιδές τε πολλαὶ, αἵ τε ὀξεῖαι νομιζόμεναι νοῦσοι· ἀνάγκη δὲ ὧδε ἔχειν, ὁκόταν κοιλίαι σκληραὶ ἔωσιν. ἔμπυοί τε πολλοὶ γίνονται ἀπὸ πάσης προ- TEXT. XXI.

φάσιος. τουτέου δ' αἴτιόν ἐστι τοῦ σώματος ἡ ἔντασις καὶ ἡ σκληρότης τῆς κοιλίης. ὁ γὰρ ξηρότης ῥηξιματίας ποιέει, καὶ τοῦ ὕδατος ἡ ψυχρότης. ἐδωδοὺς δ' ἀνάγκη τὰς τοιαύτας φύσιας εἶναι, καὶ οὐ πολυπότας. οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα πολυβόρους τε εἶναι καὶ πολυπότας. ὀφθαλ-

TEXT. XXII. μίας τε γίνεσθαι μὲν διὰ χρόνου. γίνεσθαι δὲ σκληρὰς καὶ ἰσχυρὰς, καὶ εὐθέως ῥήγνυσθαι τὰ ὄμματα. αἱμορροΐας δὲ ἐκ τῶν ῥινέων τοῖσι νεωτέροισι τριήκοντα ἐτέων γίνεσθαι ἰσχυρὰς τοῦ θέρεος, τά τε ἱερὰ νοσεύματα καλεύμενα, ὀλίγα μὲν ταῦτα, ἰσχυρὰ δέ. μακροβίους δὲ τοὺς ἀνθρώπους τουτέους μᾶλλον εἰκὸς εἶναι ἑτέρων. τά τε ἕλκεα οὐ φλεγματώδεα ἐγγίνεσθαι, οὐδ' ἀγριοῦσθαι. τά τε ἤθεα, ἀγριώτερα ἢ ἡμερώτερα. τοῖσι μὲν ἀνδράσιν τὰ νοσήματα ἐπιχώρια ἐστιν. καὶ χωρὶς ἤν τι πάγκοινον

TEXT. XXIII. κατάσχῃ ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων. τῇσι δὲ γυναιξὶν πρῶτον μὲν στρυφναὶ πολλαὶ γίγνονται διὰ τὰ ὕδατα ὄντα σκληρά τε καὶ ἀτέραμνα, καὶ ψυχρά. αἱ γὰρ καθάρσιες οὐκ ἐπιγίνονται τῶν ἐπιμηνίων ἐπιτήδειαι, ἀλλὰ ὀλίγαι καὶ πονηραί. ἔπειτα τίκ-

fiunt. Huius autem caufa eft, corporis extenfio, ac ventris duritia. Siccitas enim & aquæ frigiditas facit, vt vafa rumpantur. Edaces autem tales naturas effe neceffe eft, & non multum bibaces. Non enim fieri poteft, vt fimul multum edant ac bibant. Lippitudinefque his fieri ex temporis interuallo neceffe eft, duras autem ac vehementes, & ftatim oculos rumpi. Sanguinis item ex naribus fluxiones vehementes æftate fieri iunioribus triginta annis: Morbos etiam facros appellatos, paucos quidem, verum vehementes. Longæ verò vitæ magis quàm alios, hos homines effe par eft: & vlcera non pituitofa obori-ri, neque efferari: Mores verò magis feros, quàm manfuetos. Ac viris quidem hi morbi vernaculi funt: præter quam fi quis omnibus communis ex temporum mutatione ingruat. Ex mulieribus verò, primum quidem multæ fteriles fiunt, propter aquas, quæ duræ funt ac crudæ, & frigidæ. Purgationes enim menftruæ non contingunt commodæ, fed paucæ ac prauę. Deinde

pariunt difficulter, & non valde abortiunt. Vbi verò pepererint, pueros nutrire non possunt. Lac enim ab aquarum duritia, ac cruditate extinguitur, & tabes frequentes à partu fiunt. Præ violentia enim ruptiones ac vulsuras habent. Pueris autem hydropes in testibus fiunt, quandiu parui fuerint. Deinde ætatis progressu euanescunt. Pubescunt autem serò in hac ciuitate. Et de calidis quidem ventis ac frigidis, & vrbibus ad hos sitis, hoc modo, velut dictum est, res se habet. Quæcunque verò ciuitates sitæ sunt inter æstiuos ac hybernos solis ortus, & quæcunque ex opposito harum, de his ita habet. Quę quidem ad orientem solem sitæ sunt, eas par est esse salubriores, his quæ ad septentrionẽ conuersæ sunt, & his quæ ad calidos ventos sitæ sunt, etiamsi stadium solum intersit. Primum enim moderatior est caliditas ac frigiditas. Deinde aquas, quæ ad solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est, & odoratas, & molles, & amabiles oriri in

τίκτουσι χαλεπῶς, ἐκτιτρώσκουσί τε οὐ σφόδρα. ὁκόταν δὲ τέκωσιν, τὰ παιδία ἀδύνατοι τρέφειν εἰσί. τὸ γὰρ γάλα ἀποσβέννυται ἀπὸ τῶν ὑδάτων τῆς σκληρότητος καὶ ἀτεραμνίης. φθίσιές τε γίνονται συχναὶ ἀπὸ τῶν τοκετῶν. ὑπὸ γὰρ βίης ῥήγματα ἔχουσι καὶ σπάσματα. τοῖς δὲ παιδίοισιν ὕδρωπες ἐγγίνονται ἐν τοῖσιν ὄρχεσιν ἕως μικρὰ ᾖ. ἔπειτα προϊούσης τῆς ἡλικίης ἀφανίζονται. ἡβῶσι τε ὀψὲ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει. περὶ μὲν οὖν τῶν θερμῶν πνευμάτων καὶ τῶν ψυχρῶν, καὶ τῶν πολέων τουτέων, ὧδε ἔχει ὡς προείρηται. TEXT. XXIV.

ὁκόσαι δὲ κέονται πρὸς τὰ πνεύματα μεταξὺ τῶν θερινῶν ἀνατολέων τοῦ ἡλίου, καὶ τῶν χειμερινῶν, καὶ ὁκόσαι τὸ ἐναντίον τουτέων, ὧδε ἔχει περὶ αὐτέων. TEXT. XXV.

ὁκόσαι μὲν πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου κέονται, ταύτας εἰκὸς εἶναι ὑγιεινοτέρας τῶν πρὸς τὰς ἄρκτους ἐστραμμένων, καὶ τῶν πρὸς τὰ θερμά, ἢν καὶ στάδιον τὸ μεταξὺ ᾖ. πρότερον μὲν γὰρ μετριώτερον ἔχει τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν· ἔπειτα τὰ ὕδατα ὁκόσα πρὸς τὰς τοῦ ἡλίου ἀνατολάς ἐστιν, πάντα λαμπρά τε εἶναι ἀνάγκη, καὶ εὐώδη, καὶ μαλακά, καὶ ἐρατεινὰ ἐγγίνεσθαι ἐν

ταύτῃ τῇ πόλει. ὁ γὰρ ἥλιος κωλύει, ἀνίσχων καὶ καταλάμπων· τὸ γὰρ ἑωθινὸν ἑκάστοτε αὐτὸς ὁ ἠὴρ κατέχει, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. τά τε εἴδεα τῶν ἀνθρώπων, εὔχροά τε καὶ ἀνθηρὰ ἐπὶ μᾶλλον, ἢν μή τις νοῦσος ἄλλη κωλύῃ. λαμπρόφωνοί τε οἱ ἄνθρωποι, ὀργήν τε ξύνεσιν βελτίους εἰσὶν τῶν πρὸς βορέην. εἴπερ καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἐμφυόμενα ἀμείνω ἐ-

TEXT. XXV. στίν. ἔοικέ τε μάλιστα ἡ οὕτω κειμένη πόλις ἦρι κατὰ τὴν μετριότητα τοῦ θερμοῦ, καὶ τοῦ ψυχροῦ. τά τε νοσεύματα ἐλάσσω μὲν γίνεται καὶ ἀσθενέστερα. ἔοικε δὲ τοῖς ἐν τῇς πόλεσιν γινομένοις νοσεύμασιν, τῇς πρὸς τὰ θερμὰ τὰ πνεύματα ἐστραμμένῃσιν. αἵ τε γυναῖκες αὐτόθι ἐναρικύμονες εἰσὶ σφόδρα, καὶ τίκτουσι ῥηϊδίως. περὶ μὲν τουτέων ὧδε ἔχει. ὁκόσαι δὲ πρὸς τὰς δύσιας κεῖνται, καὶ αὐτῇσιν ἐστι σκέ-

TEXT. XXVI. πη τῶν πνευμάτων τῶν ἀπὸ τῆς ἠοῦς πνεόντων, τά τε θερμὰ πνεύματα παραῤῥεῖ, καὶ τὰ ψυχρὰ ἀπὸ τῶν ἄρκτων, ἀνάγκη ταύτας τὰς πόλιας θέσιν κέεσθαι νο-

TEXT. XXVII. σερωτάτην. πρῶτον μὲν γὰρ τὰ ὕδατα οὐ λαμπρά. αἴτιον δὲ, ὅτι ὁ ἠὴρ τὸ ἑωθινὸν κατέχει,

hac ciuitate, Sol enim emergens ac illustrans ipsas castigat. Matutinum enim tempus ipse aër vt plurimum semper occupat. Et hominum formæ boni coloris sunt, & magis floridæ, si non quis alius morbus prohibeat. Et clara voce præditi sunt homines, & ad iram ac intelligentiam præstantiores septentrionalibus; siquidem & alia quæ in ipsa nascuntur, meliora existunt. Et ciuitas quæ hoc modo sita est, maximè similis est, iuxta caliditatis ac frigiditatis moderationem, & morbi pauciores fiunt, ac debiliores, similesque sunt morbis, qui in ciuitatibus ad ventos calidos conuersis oriuntur, & fœminæ isthic valde fœcundæ sunt, ac facilè pariunt. Et de his quidem ita habet. Quæ verò ad occasus sitæ sunt, & ipsæ à ventis ab oriente spirantibus protectæ sunt, & tum calidi venti leniter afflant, tum frigidi ab vrsis præterflant: eas vrbes necesse est situ morbosissimo positas esse. Primum enim aquæ nō sunt splendidæ. Causa verò est, quod aër matutinum tempus

vt plurimum occupat, qui aquæ immixtus claritatem eius disperdit. Sol enim priusquam eleuetur, non illustrat. Æstate verò, mane quidem auræ frigidæ spirant, & ros decidit. De cætero verò sol ad ipsas occidens, quam maximè homines percoquit. Quapropter etiam decolores ac infirmos esse par est, & ex omnibus prædictis morbis participare. Nulla enim re ab ipsis separantur. Verisimileque est ipsos graui voce præditos ac raucosos esse propter aërem, eo quod impurus plerumque isthic est & morbosus. Neque enim ab aquilonaribus valde expurgatur. Non enim perseuerant venti. Qui verò perseuerant, ac ipsis incumbunt, aquosissimi existunt. Nam venti occidentales, similes sunt autumno. Et huiusmodi ciuitatis situs est ad diei mutationes, eo quod multum temporis inter matutinum & vespertinum intercedit. De ventis quidem, qui commodi sunt, ac incommodi, ita se res habet.

ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ὅς τις τῷ ὕδατι ἐγκαταμιγνύμενος τὸ λαμπρὸν ἀφανίζει. ὁ γὰρ ἥλιος πρὶν ἄνω ἀρθῆναι οὐκ ἐπιλάμπει. τοῦ δὲ θέρεος ἕωθεν μὲν αὖραι ψυχραὶ πνέουσι, καὶ δρόσοι πίπτουσιν. τὸ δὲ λοιπὸν ἥλιος ἐγκαταδύνων, ὥστε μάλιστα διέψει τοὺς ἀνθρώπους. διὸ καὶ ἀχρόους τε εἰκὸς εἶναι, καὶ ἀρρώστους· τῶν τε νοσευμάτων πάντων μετέχειν μέρος τῶν προειρημένων, οὐδὲν αὐτοῖς ἀποκέκριται. βαρυφώνους τε εἰκὸς εἶναι, καὶ βραγχώδεας διὰ τὸν ἠέρα, ὅτι ἀκάθαρτος ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ αὐτόθι γίγνεται, καὶ νοσώδης· οὔτε γὰρ ὑπὸ τῶν βορείων ἐκκρίνεται σφόδρα· οὐ γὰρ προσέχουσι τὰ πνεύματα. ἅ τε προσέχουσιν αὐτέοισιν καὶ προσκεῖνται, ὑδατεινότατά ἐστιν. ἐπεὶ τὰ ἐπὶ τῆς ἑσπέρης πνεύματα. ἔοικεν εἶναί τε μετοπώρῳ μάλιστα ἡ θέσις ἡ τοιαύτη τῆς πόλιος κατὰ τάς τε ἡμέρης μεταβολὰς, ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίγνεται τοῦ τε ἑωθινοῦ, καὶ τοῦ πρὸς τὴν δείλην. περὶ μὲν πνευμάτων, ἅ τε ἐστὶν ἐπιτήδεια, καὶ ἀνεπιτήδεια ὧδε ἔχει.

TEXT. XXVIII.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Νοσήματα δὲ αὐτοῖσιν ἐπιδημεῖ τάδε.] Describit Hippocrates morbos epidemios septentrionalium hominum, qui sunt omnes acuti morbi, suppurata & oculorum inflammationes, quorum maior pars à duritie ventris dependet. TEXT. XXI.

πλευρίτιδές τε πολλαὶ, αἵ τε ὀξεῖαι.] Omnes acuti morbi in septentrionalibus fieri possunt. Cum enim sint ventribus superioribus biliosi, phrenitides patientur. Et cum *ex aph.* 11. *lib.* 7. per translationem materiæ à peripneumonia phrenitis possit fieri, sintque septentrionales peripneumonici, facile incident in phrenitidem, patienturque quoque καύσους, id est, febres ardentes, quoniam in venulis arefactis excitantur. Septentrionalium autem temperies ad siccius tendit. Et quoniam ab aëre frigido fiunt expressiones cerebri in partes subiectas per destillationem, inflammationes faucium & anginæ, itemque peripneumoniæ contingent. Quum autem pleuritis fiat, quoties vena caua cordi assidens ab humoribus prauis exoneratur in azygon, vnde postea in venulas, quæ nutriendis costis inseruiunt fluxio fit, ratione humoris, partis, ventris & aëris facile pleuritidem septentrionales sentient. Sunt enim humore biliosi, sunt parte facile ad patiendum obnoxia, quoniam latus minimum carnis habet, vt scribit Hippocrates *lib.* 1. *de morbis*, vnde statim à frigore rigorem sentit, & à rigore fit humoris in membranam compulsio. Sunt ventre duro, sunt aëre frigido, qui instrumenta respirationis facile lædit. Vnde scripsit Hippocrates *lib.* 1. *de affect. intern.* & *aph.* 23. *lib.* 3. pleuritides & peripneumonias hyeme maximè tueri.

ἀνάδυσιν δὲ ὧδε ἔχειν.] Excrementa alui sola ex omnibus excrementis naturaliter constitutis fœtent, propterea quod non difflantur. Durus igitur venter propter excrementi morã fumos in caput eleuat, obstruensque mesaraïcas venas totius corporis expurgationem per inferiora impedit, ideoque morborum omnium est seges; quoniam omne excrementum diutius in corpore retentum, nocet. Qua de re multa Galenus *cap.* 1. *lib.* 9. *de vs. part.*

ἔμπυοί τε πολλοί.] Omnis in quauis parte corporis puris collectio est ἐμπύημα. Propriè tamen qui vel in pulmonis vomica pus coërcent, vel in pectoris capacitate effusum habent, vocantur ἔμπυοι. Gal. *progn.* 60. *lib.* 2. Fiunt arteria, pulmone, aut eius bronchiis aut venis ruptis, aut exulceratis per laborem, cursum, casum, plagam, vomitum. Hippocr. *in lib. de affect. intern.* aut per destillationem humoris ferini à cerebro. Empyema autem, aut primarium est, aut alteri morbo succedit. Si primarium est, fit ab vlcerato, vel rupto vase, aut pulmone. Si succedit alteri morbo, aut pleuritidi, quæ intra dies 14. non repurgatur, *ex aph.* 8.

& 15. lib. 2. Et tum dolor ſentitur in altero tantum latere. Gal. *progn. 59. lib. 2.* Aut ſuccedit morbus peripneumoniæ, & tum vtriuſque lateris dolor eſt, vt inquit Hippocrates *in lib. de locis in homine*, & Galenus *progn. citato.* Cognoſcuntur febre lenta, quæ nocte grauior eſt quàm die; ſudore præcipue circa pectus & caput, tuſſi ſine copioſo ſputo, difficultate ſpirandi & pondere. Hippocr. *progn. 59. 60. & 62. lib. 2.*

ἀπὸ πάσης προφάσιος] Galenus *cap. 1. lib. de cauſ. procatarct.* ait has appellari προφάσεις, ſiue occaſiones, quia corporis debilitatem & in morbum propenſionem declarant, & in corpora tantum infirma dominatum tenent. Pectus autem in frigida regione ſemper debile eſt, ideoque facile ab omni externa cauſa læditur.

τοῦ σώματος ἡ ἔντασις.] Gal. *ad part. 14. ſect. 3. lib. 6. epid.* inquit: *Quæ corpora latius extendi apta ſunt, etſi quod in ipſis continetur multum eſt, tamen citra fracturam includitur: quæ vero præ duritia ægre dilatantur, facile rumpuntur.* Septentrionalium autem vaſa frigore induruerunt, ideoque facile rupturam patiuntur, ſi ad dilatationem cogantur. At cum in corporibus noſtris nunquam facultates naturales quieſcant ab hæmatoſi, appoſitione, agglutinatione & aſſimilatione: neceſſarium eſt ſeptentrionales cum voraces ſint ſupra modum, replere venas: quæ quia propter duritiem ſequaces non ſunt, & ad extenſionem liberam præparatæ, ſequitur ruptio. Gal. *ad aph. 3. lib. 1.* Ad hæc accedit, quod durus venter repletionem auget.

καὶ τοῦ ὕδατος ἡ ψυχρότης.] Aqua frigida velut nix conſtringit ſanguinem continentium vaſorum corpora. Gal. *ad part. 14. ſect. 3. lib. 6. epid.* Ex nimia conſtrictione ſequitur ruptio, vnde dixit Hippocr. *aph. 24. lib. 5. frigidum velut nix, venarum ruptionem molitur.*

ἐδωδοὺς δὲ ἀνάγκη τὰς τοιαύτας φύσιας.] Septentrionales homines ſunt voraces, quia calore innato calidiſſimi ſunt, quia frigidum euacuat tunicas ventriculi, & conſtringendo appetentiam excitat, Gal. *cap. 7. lib. 1. de ſympt. cauſ.* Quia plurima fit digeſtio & euacuatio per inſenſilem tranſpirationem, Gal. *aph. 15. lib. 1.* Quia quibus ſunt vaſa ſicca & firma, hi potentius attrahunt, vnde ſuctionis ſenſus maior, Gal. *cap. 3. lib. 3. de ſympt. cauſ.* Et quoniam aquæ potus homines voraces reddit, Hippocr. *part. 20. ſect. 4. lib. 6. epid.*

καὶ οὐ πολυπότας.] Sitis multiplex eſt focus, ſed præcipuè triplex, pulmo, ventriculus & hepar. Qui propter pulmonis intemperiem calidam ori communicatam ſitiunt, hi aëris frigidi ſola aſpiratione leuantur. Gal. *in art. par.* Qui ſitiunt vitio ventriculi, aut hepatis; aut ſitiunt inopia humoris, aut copia caloris præter naturam à prauis humoribus excitati, vt hydropes. Qui ſitiunt inopia humoris, potu leuantur. Qui copia caloris ab humore prauo, euacuatione leuantur. Sed notandum eſt ex Ariſtotele *2. de anima*, famem eſſe appetitionem calidi & ſicci, ſitim autem frigidi & humidi. Cum igitur ſint à contrariis cauſis fames & potus, ſeptentrionales ſi ſint edaces, non poſſunt eſſe ſitibundi.

ὀφθαλμίας τε γίνεσθαι μὲν διὰ χρόνου.] Vt pituitoſis dyſenteriæ, ſic etiam bi-

liosis ophthalmiæ, & hæ ratione humoris debent esse breues. Sed quia septentrionalium est continua alui durities & bilis ad superiora perpetua eleuatio, & oculorum debilitas, idcirco perennis causarum actio longitudinem morbi adfert. Debiles autem esse septentrionalium oculos patet, quoniam aquilonis continuato frigore mordicantur, *ex aph. 17. lib. 3.* Tandemque res ad ruptionem venit, propter instrumentorum duritiem & humoris affluentis multitudinem.

αἱμοῤῥοίας δὲ ἐκ τῶν ῥινῶν.] A morbis epidemiis ad endemios Hippocrates descendit, incipitque à viris, quorum quatuor ponit incommoda, hæmorrhagiam, epilepsiam, vlcera, mores agrestes: & beneficium vnicum longioris æui. XXII.

ἐκ τῶν ῥινέων πῶι νεωτέροισι.] Hippocrates *part. 21. sect. 3. lib. 6. epid.* inquit sanguinis de naribus profusionem fieri his, qui aut subuirides sunt & nigri, id est, quibus bilis flaua cum atra miscetur; aut qui rubri sunt, & virides, aut subuirides, id est, quibus sanguis cum bile miscetur. Quo ex contextu patet biliosos homines esse hæmorrhagiæ obnoxios. Hæc autem fit tribus modis, teste Galeno *cap. 2. lib. 5. methodi*; aut per διαπήδησιν, cum attenuatus sanguis per rarefactum vas sudoris instar transcolatur: aut per ἀναστόμωσιν, vbi aut vasis est imbecillitas, aut sanguinis magna copia, aut acris qualitas, quæ os venæ aperit: aut per διάβρωσιν, cum vulnere, contusione, ruptione diuisa est est vasis tunica. In septentrionalibus prior modus non est, quia frigore crassescunt venæ. Secundus facile reperitur, quia multus est sanguis & acris. Item tertius, quia facilè venæ rumpuntur. Cum enim septentrionales acutis morbis corripiantur, bilis sanguinem deurens eum ad caput eleuat, & venis ruptis sanguinis profluuium facit. Gal. *part. 66. sect. 2. lib. 1. epid.* Huius signa erunt colli capitisque dolor grauans, circa oculos splendores, hypochondrij contensio mollis, id est, sine inflammatione. Gal. *part. 55. sect. 2. lib. 1. epid. & prognost. 33. lib. 3.* rubor oculorum, *part. 45. comm. 3. in 1. prorr.* rubor faciei citra signum melancholicum. Gal. *part. 1. sect. 1. lib. de humor.* lachrymæ manantes sponte citra signum lethale. Hipp. *part. 8. sect. 2. lib. 1. epid.* Vtilitates inde manantes sunt, crises febrium ardentium, abscessuum cerebri, inflammationum lateris & hypochondriorum. Instrumēta per quæ fiunt hæ hæmorrhagiæ secundum Vesalium *cap. 14. lib. 3.* sunt venæ, quæ à iugulari externa, antequam cerebrum ingrediatur, toti faciei & alis nasi communicantur. Itemque arteriæ vtrinque tres à iugularibus, quæ vbi caluariam subierint, duos minimos ramos ad nares perducunt.

νεωτέροισι.] Vbi vires valent, suntque humores calidiores, tum excretionem expectare oportet: vbi humores frigidi, viresque debiles, tum corruptionem, vel longi temporis coctionem: vbi humores frigidi cum virium robore, aut humores calidi cum virium debilitate, tum abscessum. Gal. *ad progn. 24. lib. 3.* At homines annorum triginta cum humorum caliditate robur facultatum habent. Igitur in his excretiones hæmorrhagicas fieri necesse est. Sed interdum Hippocrates trigesimum

quintum annum terminum hæmorrhagiæ facit, vt *progn.* 12. *lib.* 3. *&* *progn.* 33 *lib.* 1. Interdum vero trigesimum annum, vt *progn.* 28 *lib.* 3. Cuius rei rationem reddit Galenus, quod trigesimus annus sit primus progressus ad frigidiorem temperaturam, trigesimus quintus autem nouissimus. Tum enim sanguis plurimus, facultas fortis, calor exuperans.

ἱερὰ νοσήματα.] Scripsit Hippocrates *in* 2. *prorrh.* homines mundos reddi obnoxios epilepsiæ. At verò ex hoc loco septentrionales sunt obnoxij vlceribus, sunt etiam capite robusto: pauciores igitur in his epilepsię. Sed si contingant, fortes esse necesse est. Nam quemadmodum *ex aph.* 34. *lib.* 2. minus periculosè ægrotant, quorum ætati, consuetudini & temperaturæ morbus est congener: sic etiam qui morbus alienus est à temperatura & ætate, violentior est, tum causa, tum symptomatum vehementia. At epilepsia morbus est alienus à temperatura virorum. Igitur in quos cadet, cum violentia cadat necesse est. Accedit autem morbos dici fortes, qui curari vix possunt, cuiusmodi est epilepsia, quæ post virilem ætatem excitatur. Nam Hippocrates *in* 2. *prorrh.* ostendit quatuor modis epilepsiam incurabilem esse. Primus est, si à pueritia inceperit, & vltra vigesimū quintum annum progressa sit. Secundus, si post vigesimum quintum inceperit. Tertius, si à qua parte humor ad caput mittatur, incertum sit. Quartus, si in senectute incipiat. Cur autem epilepsiæ viris contingant, illud à distinctione dependet. Est igitur epilepsia duplex. Vna per primariam cerebri affectionem, quæ rarò in viris septentrionalibus reperitur. Altera per consensum. Consensus autem ille fit, vel ab obstructione venæ cauæ, vt notat Galen. *sect.* 4. *lib. de victu acut.* Vel ab humore biliosо, os ventriculi mordicante, vel ab aura frigida & venenata, quæ ab aliqua corporis parte ad caput eleuatur. Galenus *cap.* 7. *lib.* 3. *loc. affect.* Vel à deprauata victus ratione, id est, cibo, potu, insolatione, imbribus, humi cubatu, vt notat Galenus *ad aph.* 29. *lib.* 3. Et hoc epilepsiæ genus frequentius in viros cadit, Hippocratesque inter morbos iuueniles recensuit.

μακροβίους δὲ τοὺς ἀνθρώπους.] Aristotelis contraria est penitus opinio, qui *in lib. de longit. & breuit. vitæ* inquit in calida regione homines esse longioris æui, quàm in frigida: rationemque reddit *probl.* 9. *&* 10. *sect.* 14. quod in calida regione corpora sicciora sunt, & proinde diuturniora. Archigenes tamen stat à partibus Hippocratis, cum inquit Æthiopes trigesimo anno esse senes, septentrionales autem vitam producere ad centesimum & vigesimum. Sed cum ex Aristotele vita nihil aliud sit, quàm participatio calidi primi in facultate vegetante, vt scripsit *in lib. de respirat.* septentrionalesque propter antiperistasim plurimum habeant calidi primi intus conclusi, optiméque nutriantur, viuaciores sint oportet. Si etiam consideremus causas mortis, idem astruemus. Sunt autem hæ omnino quinque, contrarietas, excrementorum prouentus, Aristot. *in lib. de longit. vitæ*; calidum insitum, quod in pri-

mariam humiditatem agit, Galenus *in lib. de marasmo*; immutatio corporis ab externis, & substantiæ triplicis continuatum effluuium. Gal. *cap. 7. lib. 1. de elem.* At septentrionales ab omnibus excrementis melius repurgantur, eorum corpora propter frigus minus resoluuntur, humiditatis primæ quamplurimum habent, & frigus cum habeat vim passionis, non tantam possidet in agendo efficaciam, quam calor. Proinde septentrionales magis sunt à mortis causis tuti. Galenus autem *c. 3. lib. 6. sanit. tuend.* inquit consenescere nihil aliud esse, quam siccari, esseque maximè diuturnum quod minime siccatum. Septentrionales autem sunt à sole remotiores. Igitur diutius humiditatem suam retinent.

πάντη ἕλκεα ω.] Vlcus est in omni parte non ossea erosio. Galenus *cap. 6. lib. de constit. art. medic.* Fitque duobus modis, vel deprauati humoris affluxu, vel vase aliquo rupto. Gal. *cap. 5. lib. 5. loc. aff.* Cum igitur septentrionales sint obnoxii ruptionibus vasorum, ob id in vlcera incident. Sed ea non erunt efferata, quia & humor qui affluit non est multus, nec valde corruptus, & curatu facilis. Nam, vt scripsit Hippocrates *in lib. de vlcerib.* vlcus quod proximè accedit ad siccitatem, est sanum: quod ab ea longius remouetur, est morbidum, quoniam ad cicatricem perduci non potest, vt docet Gal. *ad aph. 8. lib. 6.* Septentrionalium autem habitus siccior est, & humores biliosi magis quam pituitosi, ob id vlcus in ipsis ad siccius tendit. Quod si ab erysipelate fieret ingens putredo, tum necessarium esset vlcus efferari corrosione & decidentia partis in qua esset: cuiusmodi feritatem descripsit Hippocrates *part. 17. sect. 3. lib 3. epid.*

τῇσι δὲ γυναιξὶν.] Exponit Hippocrates incommoda propria mulierum & puerorum. Puerorum quidem duo, hydropes & tardam pubertatem. Mulierum verò quatuor, sterilitatem, difficilem partum, impotentiam nutriendi, & tabem. XXII.

πρῶτον μὲν στρυφναὶ πολλαί.] Galenus *cap. 6. lib. 14. de vs. part.* inquit mulierem factam esse frigidiore temperamento, ne vniuersum alimentum digereret, sed superfluum sanguinem cogeret, singulis mensibus excernendum, aut in fœtus alimentum reseruandum. Debent autem esse menses qualitate boni, quantitate sufficientes, & excernendi modo benè prodeuntes. Sunt qualitate boni, si sanguini victimæ recens mactatæ respondeant. Sunt quantitate sufficientes, si per quatuor dies effluant. Excernendi verò modo benè prodeunt, si primis & vltimis diebus sint pauciores & tenuiores, intermediis autem crassiores & plurimi. Et eius conditionis mulier si paulò ante mensium eruptionem coëat, aut paulò post, concipit, quoniam os vteri aperitur, & omnia vasorum ora hiant, semenque attrahunt, & sanguinem ad fœtus nutritionem suggerunt. Hippocrates *lib. 1. de morb. mul.* Quæ autem mulieres sunt prauorum mensium, steriles sunt, quia praui menses serosam genituram reddunt, & impellunt vt statim foras exeat. Hippocr. *in lib. de steril.* Sunt autem pauci menses, quando confertim non pro-

deunt, sed stillatim. Stillæ autem tres tantum causæ sunt, naturæ debilitas, sanguinis crassities, vasorum angustia & densitas. Gal. *ad part. 67. sect. 4. lib. de vict. acut.* Quibus igitur mulieribus sunt pauci menses, earum vasa sunt semper plena. A pleno autem non fit attractio seminis virilis, nec emissio sui: & in plenis vasis superest aliquid sanguinis vitiosi, qui impedit quo minus genitura in vtero nutriatur. Hippocrates *in lib. de steril.* Proinde mulieres septentrionales sunt steriles, non natura, sed morbo, id est, affectione praua quam ab aquis contraxerunt.

τίκτουσι χαλεπῶς.] Omnis difficilis partus est, vel à causis externis, vel ab vtero, vel à fœtu, vel à locis vtero adiacentibus, vel à muliere. Nam quotiescunque vterus & fœtus pari virium impetu in partum incumbunt, partus est facilis. Igitur aër frigidus, itemque aqua vterum constringunt, & duriorem reddunt: Duri autem facultas retentrix potentissima est. Vterus per se, si densior & arctior, minus idoneus ad extensionem. Fœtus, si grandior, aut si malè prodit. Loci adiacentes sunt intestinum rectum & vesica. Mulieris septentrionalis est aluus dura à multitudine recrementorum, & vesica distenta à retentione vrinæ: proinde hæ duæ partes vterum coarctant, & minus obediunt. Mulier autem si debilis est, & difficilem habet respirationem à vitio pectoris, rursum vix parit: septentrionalium autem pectus & pulmo sæpè laborant à frigore. Addidit autem particulam ἐπιεικέως, quia si mulier natura est paucorum mensium, numquam fœcunda fit. Si morbo alicunde contracto, vt hic ab aqua, curatione fœcundatur. Hippocrates *in lib. de sterilibus.*

ἐκτιτρώσκουσι τε.] Vterus contra abortum ita est à natura constitutus, vt villis rectis intestino recto arctè adhæreat, villis autem paulò laxioribus vesicæ, ne impediatur ventris in grauiditate tumor. Circumdatur autem arctissimè ossibus pubis, & ilium, & osse sacro. Adhæret venæ cauæ & arteriæ aortæ per arterias venasque spermaticas. Alligatur supradictis ossibus & musculis lumborum per ligamenta. Continet in se omnia fibrarum genera, quibus simul vtitur ad firmiorem fœtus retentionem. Quæ omnia, quoniam in septentrionali muliere sunt sicciora, idcirco validiora. Accedit autem quod à cæteris iniuriis fit magis tuta: nam fit abortus extenuatione mammarum, *per aph.* 38. 38. 53. *lib.* 5. Fit extenuatione totius corporis, *per aph.* 44. At septentrionales plurimum nutriuntur, quoniam vi antiperistaseos plurimum caloris natiui habent. Fit abortus alui profluuio, *per aph.* 34. At septentrionalibus est durus venter. Fit etiam, si lac à mammis effluat, *per aph.* 52. At septentrionalium habitus corporis est densus, vixque propter frigus angustæ, ideoque lac minus effluit. Denique si sunt obnoxiæ abortui septentrionales mulieres, id fit quoniam frequentius morbis acutis corripiuntur.

τὰ παιδία ἀδυνατεῖ.] Lac cibus est perfectè coctus, vt definit Gal. *cap. 22. lib. 7. de vs. part.* Et quoniam glandularum natura spongiosa diu succos retinet, habetque facultatem alteratricem potentissimam, vt

ait Galenus *ad part.30. sect.5. lib. de humorib.* Idcirco à glandulis albis succus albescit, vt concludit Gal. *aph.39. lib.5.* Sunt autem vtrinque duæ venæ, & totidem arteriæ, quæ per hypochondria diffusæ ad clauiculas vsque ascendunt, tum binę ad singulas mammas affiguntur, id est, ad locum vi cordis calidissimum, vt ait Galenus, *cap.8. lib.14. de vs. part.* Vbi autem mulier grauida est, ab vtero pleno abdomen comprimitur, à qua compressione fit humoris pinguioris per venas in mammas expressio, vt ait Hippocrates *in lib. de natura pueri, & lib. de glandulis.* Quod si contingat vias carnis solidas esse & densas, lac parcius suggeritur, & sæpissimè ante tempus deficit, vt scribit Hippocrates *lib.1. de morb. mul.* Huiusmodi autem esse septentrionales iam supra positum est.

τὸ δὲ γάλα.] Lac moderatè humidum est, & temperatè calidum, ideoque alimentis totius substantiæ similitudine congruis promouetur. Quod si lac paucius sit qualitate biliosum, purgatione opus est ante alimenti administrationem: si pituitosum, sola calefactione. Cum igitur aqua ad temperamenti biliosioris symmetriam tantum valeat, vt medicamentum, teste Galeno *ad part.17. sect 3. lib. de vict. acut.* cum aqua nec admota, nec pota humectet, ex eod. Gal. *ad aph.13. lib.4.* lac extinguit. Ideoque vniuersim pronunciat *cap.2. lib.5. simplic.* Quæcunque plus quàm expediat, calefaciunt, desiccant, aut refrigerant, partim ipsius lactis qualitatem corrumpunt, partim quantitatem imminuunt.

φθίσιές τε γίνονται συχναὶ ἀπὸ τῶν] Phthisis Hippocrati omnino quadruplex est. Prima à defluxione cerebri in pulmonem. Altera à defluxione cerebri in spinam dorsi, vt ait Hippocrates *in lib. de inter. affect.* Tertia fit per successionem, vt si à pleuritide suppuratus intra quadraginta dies non repurgetur, *per aph.15. lib.5.* Quarta, & quæ propriè φθίσις apud Hippocratem est, fit rupto aliquo pulmonis vase: tum enim sanguis, si statim sputo non excernatur, mutatur in pus, *per aph.10. lib.6.* & ex puris acrimonia fit vlcus. Qui autem calidam & humidam regionem incolunt, hi sunt obnoxij phthisi à destillatione; qui vero summè frigidam, vt septentrionales, sunt obnoxij phthisi à rupto vase, teste Galeno *ad aph.16. lib.3.* Id autem ex abortu fit per sympathiam. Est autem sympathia duplex. Vna propter vicinitatem partium. Altera propter societatem, teste Galeno *ad ægr. primum sect. 1 lib.3. epid.* Thorax autem cùm partibus genitalibus habet communionem generis per venas arteriasque communes; & præterea operis, id est, partus, quia difficilis respirationis mulier vix parturit, ideoque abortu facile fit in thorace vasis alicuius ruptio.

τοῖς δὲ παιδίοισι.] Ex Hippocrate *lib.4. de morb.* omnium corporis excrementorum liquidorum grauissimum & frigidissimum, est aqua. Ex Galeno *cap.10. lib.14. de vs. part.* testes laxi sunt & cauernosi, & in inferiore sede positi, Vnde efficitur facilem esse aquæ in testes delapsum, idque inter duas tunicas δαρτὸν & ἐρυθροειδῆ, aut inter ἐρυθροειδῆ & testem.

Idque fit, quia hæ partes facile frigore affectæ debilitantur, & pueri voraces facile pituitosi redduntur. Quod autem ætatis progressu hæc aqua euanescat, inde contingit, quod peculiaris iste hydrops citra hepatis affectionem malam generatur. Notatu verò dignum est ex Galeno *prog.* 68. *lib.* 2. quinque esse causas euanescentis tumoris salutariter, scilicet humoris tenuitatem, partis laxitatem, aëris caliditatem, medicamenti vim & firmitatem virium. Quoniam igitur ætate progrediente pueri robustiores fiunt, sicque facilius humores attenuant, idcirco tumor euanescit.

ἡβῶσι περὶ τὴν ἐν παύτῃ.] Pubertas incipit (vt plurimum) decimo quarto anno, ait Gal. *ad aph.* 27 *.lib.*3. extenditurque ad annum ætatis vigesimum quintum, *aph.* 7 *.lib.* 5. Ad pubertatem autem tria videntur concurrere; motio seminis; quæ fit cum hircire incipiunt; ait Hippocrates *part.* 2.5 *sect.* 3 *.lib.* 6 *.epid.* tum menti lanugo, & pubis. Huius autem lanuginis ex collatione locorum Hippocr. & Gal. est duplex causa, seminalis humiditas & fuligo. Nam, inquit Hippocrates *in lib. de nat. puer.* semen à capite defluens menti cutim rarefacit motu suo & calore, humiditatemque suggerit in originem pilorum. Et quoniam seminis muliebris tantus motus non est, neque calor, idcirco mulieres mēto sunt læues. Ex Galeno autem *cap.* 5. *lib.* 2. *temper.* si quod effluit è corpore halitus est, facile transit. Si humor, adhæret quidem, sed quia liquidus, facile intrò reuertitur. Si verò fuligo terrestris, adhæret in angustis meatibus, nec facile retrocedit, sicque longa fuliginum successione & mutua agglutinatione fit pilus. Quibus ex locis Galeni & Hippocr. colligere possumus substantiam pilorum esse à semine, subsistentiam & alimentum à fuligine. Et quia ex Galeno *aph.* 27 *.lib.* 3 caldiores celerius, frigidiores tardius pubescunt, septentrionales qui propter ambientis frigus sunt cute molli & nuda, tardè pubescunt.

XXIV. ὁκόσαι δὲ κέονται πρὸς τὰ πνεύματα,] Cum sol semper moueatur inter duos tropicos, & æquinoctialem circulum, hinc fit vt triplex reperiatur ortus. Horum trium moderatissimus est æquinoctialis, vt qui vernum tempus inchoët. Hunc hic describit Hippocrates. Est enim æquinoctialis ortus inter vtrunque tropicum medius, eiusmodique regio sita est ad ventos, aquilonem scilicet ab ortu æstiuo, vulturnum ab hyemali, & eurum ab æquinoctiali. Aristoteles tamen cæciam ventum facit flantem ab ortu verno, cuius virtus hæc est peculiaris, vt semper nubes congreget. Hi omnes venti, teste Plinio, *cap.* 47 *.lib.* 2. septentrionalibus & occiduis sunt humidiores, sed in calore & frigore moderati.

XXV. ὁκόσαι μὲν πρὸς τὰς ἀνατολάς.] Hippocrates septem ponit commoditates orientis, caloris & frigoris temperiem, aquarum excellentiam, hominum bonam habitudinem, vocem claram, morborum paucitatem, mulierum fœcunditatem, & cœli salubritatem.

ἢν ᾖ στάδιον τὸ μεταξὺ ᾖ.] Ex hoc Hippocratis loco patet, vrbes ad hunc aut illum cœli cardinem sitas duobus modis considerari. Vel enim vrbs

ad

ad orientem sita est, quoniam tota plaga orientalis est, vt India: & hæc ciuitas habet summam qualitatum temperiem, homines vitæ diuturnissimæ, & solum omnium rerum pretiosarum ferax. Vel ciuitas dicitur esse orientalis ratione proprij situs, vt si tuta sit à ventis meridionalibus aut occiduis, orientales autem habeat apertos. Quod idem dici potest de singulis in eadem vrbe domibus atque cubiculis. De quibus ita præcipit Vitruuius *cap. 7. lib. 6.* vt triclinia hyberna fenestras habeant ad occidentem, æstiua vero ad septentrionem, verna & autumnalia ad orientem. Bibliothecæ autem omnes ad orientem. Quæ igitur ciuitas solo situ orientalis est, distinguitur ab alijs solo aquarum bonarum discrimine, & peculiari ventorum salubrium afflatu.

προσήπερον μὲν.] Nimia solis mora calorem efficit: minima autem frigus: temperata autem solis mora, quoniam communis est orienti, idcirco distinctionis indiget. Nam duplex est in sole calor. Vnus purus & cœlestis, à quo omnis commoditas. Alter igneus & torridus, à quo putredines & morbi. Primus fit cum radij solis recti citra refractionem terram attingunt, idque fit tribus primis diei horis ab ortu, ideoque orientales vrbes saluberrimæ. Secundus fit, vbi solis radij refringuntur à terra ad mediam vsque regionem aëris, qualem calorem sentiunt meridionales, ideoque deterius degunt.

ταῦτα λαμπρά τε εἶ).] Aristot. *probl. 3. sect. 13.* inquit omne quod parce humidum moderato calore recaluit, atque recoctum est, odoratum reddi. Quæ causa est, vt plagæ ad orientem, cuiusmodi est Syria atque Arabia, omne genus aromatum ferant. Zona vero torrida propter nimiam siccitatem minus. Ad probationem huius theorematis Aristotelici Plinius *nat. hist. lib. 17. cap. 5.* affert experientiam de iride, cuius cornua in quas arbores desederint, eas odoratissimas reddunt, quoniam nubecula rorida iridis efficiens, à calore solis tepido recocta, odorem foras emittit. Qua & ratione aquæ orientales temperata humiditate si à sole puro subiguntur, odorem suauem habent, ideoque à Galeno *cap. 11. lib. 1. sanit. tuend.* fontes ad orientem spectantes omnibus præferuntur. Sed si bonas pronunciauit aquas idem Galen. quæ sunt sine sapore & odore, quomodo orientis aquæ & odoratæ erunt & bonæ? Respondere possumus ex Aëtio *tetrab. 1. serm. 1. cap. 1.* quemadmodum aqua debet esse saporis expers, & tamen laudatur quæ dulcis est, id est, quæ nullum habet gustum: sic etiam, etsi aqua laudatur, quæ sine odore est, tamen benè odorata commendabilis, id est, quæ nullam imprimit vehementem qualitatem odoratui.

τάτε εἴδεα τῶν ἀνθρώπων.] Gal. *cap. 6. lib. 2. de temperam.* inquit in regione temperata ex temperie cutis coniecturam fieri de temperie totius corporis. Orientalis autem regio est maximè temperata, ideoque bonus color in cute boni humoris est index. Nam scripsit Hippocr. *part. 29. sect. 4. lib. 6. epid. Quale est alimentum, talis est externus color.* Et Galenus *ad part. 14. sect. 5. lib. 6. epid.* inquit colorem esse indicem humoris exuperantis, non deficientis. Et Hippocrates *part. 1. sect. 1. lib. de hu-*

morib. seipsum explicans inquit colorem esse humoris indicem, nisi intro facta sit humorum reciprocatio. Nam pituitosus dici non debet, qui metu pallet. Ideoque vniuersim dixit Galenus *cap. 4. lib. 4. sanit. tuendæ*, si nec ambientis aëris violentia sit, nec aliqua perturbatio corporis aut animi, tuto ex colore de humoris dominio sententia ferri potest.

λαμπρόφωνοί τε οἱ ἄνθρωποι.] Ad vocis efformationem tria requiruntur, inquit Galenus *lib. de dissect. vocal. instr.* causa efficiens, quæ est facultas animalis: materia, quæ est aër ad refrigerium cordis exsufflandus: & instrumenta. Instrumenta sunt quintuplicia; intercostales musculi, qui exsufflationem & exspirationem adiuuant: musculi laryngis, qui eius motum: larynx, qui factus est cartilagineus, vt esset præcipuum vocis instrumentum, aëre durum corpus quatiente: nares, quæ sunt pro meatu: os, quod est receptaculum aëris; & cuius palatum concameratum factum est ad repercussionem. Ex voce igitur dijudicare possumus de bona cerebri temperie, de partium thoracicarum moderata temperatione, & innati caloris quantitate. Primũ patet ex Gal. *cap. 6. lib. 1. loc. aff.* Qui inquit animales actiones non statim ostendere partem affectam, quoniam hæc actio aliunde influit, & non insita est, proinde citra pectoris affectum vox corrumpi potest. Secundum patet, quoniam quibus est angusta arteria, iis est acuta vox: quibus nimium sicca, iis est aspera: quibus nimium humida, iis est rauca: quibus vitium est in musculis laryngis, iis est gracilis. Tertium patet ex *part. 24. sect. 4. lib. 6. epid.* vbi scribit Hippocrates. *Qui plurimum calidi innati habent, ij vocalissimi sunt.* Idem *part. 78. sect. 2. lib. 1. epid.* frigidioris temperamenti ex voce coniecturam trahit, cum ait homines vocis gracilis & tenuis, id est, frigidiores homines in morbos incidisse. Et Galenus *cap. 67. art. par.* inquit magnitudinem vocis non esse primum à calore, nec exilitatem à frigore, sed quoniam vox sequitur naturale temperamentum, idcirco illius cognitio à voce duci potest. Ergo cum Hippocr. inquit orientales esse clara voce, tria significat: optimam esse cerebri constitutionem à qua vox dependet, thoracis bonam conformationem, oris & narium, à quibus vocis elaboratio est; & plurimum natiuum calorem, quod requirit plurimum aëris ad sui temperationem, vnde vox validior.

ὀργὴν καὶ ξύνεσιν βελτίους.] A tribus animæ facultatibus tria habemus, inquit Galenus *cap. 5. lib. 5. de placit.* A cupiditate, voluptatem: ab ira, victoriam: à ratione, honestatem. Ira autem si naturalem suum statum seruauerit, nunquam rationi aduersatur, sed cum ea semper coniuncta est, vt inquit Galenus *cap. 6. eiusd.* Vt igitur denotet summam esse orientalium temperiem, iram cum intelligentia coniunxit. Nam ex Galeno *in art. par.* prompta comprehensio subtilitatem cerebri designat. Et qui sapientissimus est, idem est temperatissimus, ex Gal. *cap. 1. lib. 2. de temper.* Et qui vix irascitur, frigidus est: qui nimis, calidus est calore externo & igneo: qui moderate, temperatus est, vt docet Gale-

nus *ad part.* 25. *sect.* 4. *lib.* 6. *epid.* Et idem Hippocr. *aph.* 13. *lib.* 1. ex ingenio viuaciore collegit multitudinem caloris innati.

ἔοικέ τι μάλιστα ἡ ὑπὸ χειμῶνι πόλις.] Hippocrates *part.* 25. *sect.* 6. *lib.* 6. *epid.* inquit matutinum tempus respondere verno tempori, propterea quod cum subsolanus ventus orientalis flat. Cum igitur orientales eum toto anno habeant, ventisque & aëri annus respondeat, necesse est totum annum esse vernum. Et quia *ex aph.* 9. *lib.* 3. ver saluberrimum est, idcirco totus annus apud orientales erit maxime salutaris. Nec obest aph. 6. lib. 3. vbi inquit. *Cum aestas veri similis, sudores in febribus multi.* Nec aph. 20. eiusd. in quo plurimi morbi verni numerantur. In vtroque enim est mentio morborum, quorum causa fuit humor, praecedentium tempestatum vitio collectus: hic autem nulla tempestas peccat.

ὅτι νοσεύματα ἐλάσσω μέν.] Aphorismus est 8. lib. 3. *Cum tempestates suam naturam seruauerint, morbi fiunt constantes & boni iudicij.* Cum igitur in oriente totus annus sit temperatus, morbi erunt faciles. Cum enim omnis morbus sit, vel à causis internis, vel ab externis, in corpore temperato nullae sunt internae causae; quoniam optima est omnium partium oeconomia. Externae nihil possunt, nisi in corpore ad morbum praeparato. Sed qui temperatus est, omnibus morborum causis coniunctè resistit, ideoque vix aegrotat: & si aegrotat, cum temperati corporis sit moderata raritas, facile sanescet. Nam, vt scribit Hippocrates *in lib. de alim.* homines rariore corpore saniores sunt, quamuis sint debiles; & à morbis facile conualescunt. Gal. quoque *cap.* 12. *lib.* 7. *meth.* ait omnem morbum esse magnum, vel vehementia causae, vel symptomatum violentia, vel partis praestantia. Vbi omnia temperata sunt, nihil violentum, & partes principes robustissimae sunt, proinde morbi erunt debiles & similes meridionalibus, id est, non acuti.

αἵ τε γυναῖκες.] Hippocrates *part.* 11. *lib. de nat. hum.* inquit, nisi calidum cum frigido, & humidum cum sicco mediocritatem & aequalitatem habeat, generationem non fieri. Item *aph.* 62. *lib.* 5. vult mulieres ex vtraque oppositione caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis temperatas, esse foecundissimas: propterea quod (vt ait Galenus *in commentario*) temperata mulier cum quouis coëat, semper foecundatur: Ratioque est ex Hippocrate *prorrh.* 2. quoniam mulieris temperatae vterus est mollis, quod praecipuè requiritur ad generationem. Nam (vt inquit Galenus *cap.* 2. *lib.* 2. *de temper.*) ante seminis extensionem per vniuersum vteri corpus nihil in generatione effatu dignum fieri potest. At ex Galeno, *comm. ad aph. citatum*, siccitas vteri seminis emissi extensionem impedit. Mollities ergo adiuuat. Adde quod ex eodem Hippocrate 2. *prorrh.* mulieres tenues crassis, nigrae liuidis, albae rubicundis foecundiores sunt. Cum igitur orientalis mulier sit temperata, & propter calorem solis ad corporis gracilitatem atque nigritiem magis tendat, erit foecundior.

τὰ τε θυμάτων τῶν ἀπὸ τῆς ἠοῦς.] Quatuor rationes adferri possunt, cur XXVI.

venti orientales ad occidentem non perueniant. Prima est à situ, quoniam oriens est superior mundi pars, occidens autem inferior, ex Aristotele *probl.* 1. *sect.* 26. Ideoque venti orientales sublimes, occidentalem plagam, tanquam in conualle positam, superuolant. Secunda à distantia, quod hæ duæ regiones opponantur per diametrum. Tertia à natura ventorum orientalium, qui multo sunt debiliores, quàm vt huc vsque validi perueniant. Debiliores esse patet ex Galeno *ad part.* 13. *sect.* 3. *lib. de humorib.* cum inquit, quò sol non peruenit, eò ventos potentius spirare. Et ex Aristotele *cap.* 4. *lib.* 2. *meteor.* cum inquit solis propinquitate ventorum materiam dissipari. Quarta ratio est, quod cum plures sint aquæ ad meridiem & ad septentrionem, maiorque caliditas atque frigiditas, ibi plures & potentiores venti.

τὰ τε θερμὰ πνεύματα.] Ex opinione Arist. venti mouentur per parallelos circulos, suntque validiores, quo propius ab ortu absunt, & quo angustius spirant. Id autem fit quotiescunque venti ad lineas contrarias perflant. Igitur cum boreas & auster ad orientem vel occidentem deerrarint, quia lineis rectis non opponentur, & instar fluminis per amplius spatium vagabuntur, leuiores erunt, & proinde præterflabunt tantum.

ἀνάγκη ταύτας τὰς πόλιας.] Quoniam aër occidentalis regionis morbosior est, idcirco expedit homines cubiculis concludi. Nam etsi aër liber substantia sua concluso melior est, tamen vaporum corruptione deterior redditur, & motu validior redditus corpori maleficam qualitatem imprimit. Conclusus autem & igne, & suffitibus corrigi potest. Ideoque Hippocrates *part.* 1. *sect.* 7. *lib.* 6. *epid.* notauit viros & seruas frequentius in Thaso ægrotasse & obiisse, quod sæpius domo exirent: matronas rarius, quod cubiculis se continerent.

XXVII *τοῦτο μὲν γὰρ τὰ ὕδατα.*] Probat situm occiduum esse maximè insalubrem, ducto ab aquis & sole argumento. A sole, quod toto matutino tempore absit, & pomeridiano vrat. Ab aquis, quod sint impuræ. Impuritatis autem duas adfert rationes. Prima est aëris toto matutino tempore nebulosi constitutio. Secunda, quod etiam æstate, quo tempore aqua debet esse limpidior, ipsa nunquam depuratur, quia matutinum tempus est subfrigidum & roris abundans, à quo fit admixtio alienæ materiæ.

αἴτιον ὅ τι ὁ ἠήρ.] Qualis aër (inquit Plin. *c.* 3 *l.* 31.) talis aqua: sed in occidentali plaga totus aër est nebulosus ob magnam solis absentiam. Quod docetur *probl.* 6. *sect.* 23. vbi contendit Aristoteles aquam Ponti esse candidiorem & coloratiorem propter crassitudinem aëris: Ægæi vero maris liquidiorem & lucidiorem, quod aër sit purior. Crassitiei autem aëris causa est frigiditas quæ ipsum condensat, & à ventis quies. Primum patet ex Galeno *part.* 8. *sect.* 1. *lib.* 1. *epid.* vbi inquit nubes recepto solis lumine esse rariores & lucidiores, repudiato vero crassiores atque nigriores. Secundum patet ex Aristotele *probl.* 34. *sect.* 26. cum ait fauonium ventum occidentalem solis horis pomeridianis flare: tum

enim flant venti, cum ſol aërem tepefecit, quod non fit in occidentali regione niſi ſub meridiem.

ὁ γὰρ ἥλιος πρὶν ἄνω ἀρθῆναι.] Sol exurgens aërem rarefacit, vapores tenues & aqueos diſſoluit, craſſos in pluuiam vertit, tenues & terreſtres in auram: proinde aërem lucidum reddit. Sed ſi ſol fuerit debilis, terraque humida, aërem obtenebrat. Quoniam vapor calore ſolis eleuatus, ſed non diſſolutus, imo in aëre medio relictus, rurſum frigore mediæ regionis denſatur, vnde nubes & caligo. Hæc igitur fieri neceſſe eſt verſus occidentem, cum toto matutino tempore ſol ſit debilis.

τοῦ δὲ θέρεος ἕωθεν μὲν αὖραι ψυχραί.] Galenus *ad aph* 9. *lib*. 3. exponens cur autumno morbi pernicioſiſſimi ſint, duas affert cauſas. Prima eſt, quod æſtatem excipiat, in qua vires debiles & humores aduſti. Secunda, quod eodem die calor ſit & frigus: ſcriptum eſt enim *aph*. 4. *lib. eiuſd. Cum eodem die modò calor, modò frigus, autumnales morbi expectandi.* Hoc apertius extulit Hippocr. *part*. 2. *ſect*. 3. *lib. de humoribus*, cum ait: *Regiones quæ ad tempora malè affecta ſunt, tales morbos pariunt, quale fuerit tempus, cuius ſimilitudinem referunt.* Verbi gratia, ſi eodem die frigus & calor fuerint, autumnales morbi creabuntur. Hic igitur Hippocrates docet æſtatē apud occidentales eſſe autumnalem, quod mane frigeat, meridie caleat, poſt ſolis occaſum rurſum refrigeretur. Sed quæri poſſet, cum occidens æquè exponatur auſtro ac ſeptentrioni, cur potius ſpirat aura frigida quàm calida? Reſpondet Cardanus auras ſpirare pro conditione regionis.

καὶ δρόσοι πίπτουσιν.] A ſole duo tantum ſurſum eleuari poſſunt, exhalatio, à qua venti & ignea meteora; & vapor. Sed vapor duplex. Vnus frigidus humidus, qui ſi modicùm eleuetur, pruinam: ſi multùm, niuem facit. Alter calidus & humidus, qui ſi plurimum extollatur, pluuiam facit: ſi parum, rorem. Vt autem ros fiat, teſte Ariſtotele *cap*. 10. *lib* 1. *meteor*. quinque neceſſaria ſunt, vaporis eleuatio, calor (nam à frigore pruina;) ſerenitas (nam nebuloſo cœlo nihil eleuatur,) tranquillitas à ventis (nam ventus diſpergit, & fauonius non niſi à meridie ſpirat apud occidentales;) loci planities, aut depreſſio, quoniam euaporatio è locis cauis, tum fluidis fit, & propter caloris debilitatem ad ſummos vſque montes non eleuatur: ideoque in ſummis montibus nunquam eſt ros. At occidens eſt inferior pars orbis. Sed Ariſtoteles *eodem loco* inquit rorem excitari in locis clementioribus. Erit igitur temperatus occidentalis locus. Sed Ariſtoteles hic loquitur ex comparatione locorum, in quibus ros, & in quibus pruina.

ὥστε μάλιστα δίεψαι τοὺς ἀνθρώπους.] Gal. *ad aph*. 11. *l*. 3. inquirens, cur hyeme aquilonia, & vere auſtrali atque pluuioſo, in æſtate febres contingant, inquit: *Cū imbribus vernis & auſtro madefacta & humectata terra fuerit, æſtaſque repente aduenerit, tum neceſſe eſt à ſole adurente calorem geminari, cuius humor eſt pabulum.* Cum igitur æſtate matutinum tempus humidum ſit & roridum, ſol meridie accedens ardeat neceſſe eſt. Quod autem humor pabulum ſit ignis, docet Ariſtoteles *cap*. 7. *lib*. 2. *de ort.* &

inter. quoniam omnibus elementis est vna subiecta materia.

ἀλλ' ἐ ἀχρόυς τι εἰκὸς εἶ) ἐ] Galenus *ad part. 115. sect. 4. lib. de acut. vict.* distinguit ἀχρόυς ἢ κακοχρόυς, id est, homines decolores & praui coloris. Quod qui propter aliquam corporis affectionem non habent corpus secundum naturam affectum, hi dicuntur esse praui coloris. Quibus autem deficit sanguis, hi dicuntur ἄχροοι, siue λειφαιμοι. At quibus deficit sanguis, id fit hepatis & facultatum naturalium vitio. Igitur Hipp. cum hic ait occidentales esse decolores, id est, praui sanguinis (nam color est ab humoribus, non à solidis partibus, ait Gal. *cap. 4. lib. 4. sanit. tuenda*) indicat eos naturalibus facultatibus frequentius laborare.

ἀλλὰ τι νοσημάτων πάντων.] Galenus *ad part. 115. lib. 4. de vict. acut.* inquit corpore nostro ad morbosam affectionẽ comparato, ita vt propè completa sit, externum quippiam adueniens, eam manifestat. Cum igitur occidentales laborent intemperie summa, necesse est omnibus morbis esse obnoxios. Adde quod habent quandam similitudinem cum meridionalibus, propter pomeridianum solis æstum; & cum borealibus, propter summos hyemis & autumni rigores.

XXVIII. βαρυφώνους τι εἰκὸς εἶ) ἐ.] Hippocrates inter symptomata in morbis euenientia, vocis non minimam habuit rationem, vt ægro 3. sect. 3. lib. 3. epid. Ἀφωνία cum febre natiui caloris extinctionem denotat: sine febre, plenitudinem cerebri, vt in apoplecticis, cui præscribit venæ sectionem; aut à fluxione, laryngis debilitatem, vel neruorum recurrentium resolutionem vel obstructionem. Meminit & in prorrh. vocis clangosæ & acutæ ex angustia arteriæ & siccitate. Item asperæ, ex immodica siccitate; & raucæ, ex humiditate vel frigore. Igitur & hoc loco, cæteris omissis morbis, vocis grauis & raucitatis meminit, vt per quam coniecturam facere possimus de cerebro, pectore, & testibus: eiusque tres affert causas, aëris impuritatem, ventorum humiditatem, & autumnalem constitutionem.

εἰκὸς εἶ) ἢ βραγχώδεας διά.] Vox grauis duobus modis consideratur. Vel secundum arteriæ constitutionem, vel secundum alieni humoris affluxum. Primum patet ex Galeno *in art. parua*, cum ait grauem vocem fieri à latitudine arteriæ, quæ latitudo est à calore: item à longitudine arteriæ, vt notat idem Galenus *in lib. de voce & anhelitu, tractatu secundo.* Et hæc βαρυφωνία non est incommoda. Secundum colligitur ex eodem Gal. *loco nouißimè citato*, cum ait grauem vocem fieri ab humiditate. Ea autem fit à destillatione cerebri in arteriam: quæ si acrimoniam acquisiuerit, efficit tabis genus, quod Hippocrates appellat θηρίωμα, id est, *ferinum*, in quo morbo homines habent, ferarum instar, vngues recuruatos, vt notat Galenus *part. 17. sect. 2. lib. 6. epid.* Hoc autem ferinum sæpissimè fit autumno, teste Hippocrate *part. 14 sect. 1. lib. 6. epid.* Est autem occidentalis constitutio tota autumnalis. Et quoniam ex eiusmodi destillationibus sæpe excitantur tusses aridæ, à quibus per translationem humoris fiunt testium inflammationes, *ex part. 12. & 13 sect. 1. lib. 1 epid.* notat Hippocrates sub nomine βαρυφωνίας, &

partes ſummas, id eſt, caput; & medias, id eſt, pectus, malè habere; & infimis partibus, id eſt, genitalibus periculum impendere.

ἢ βραγχώδεας.] Ex Galeno raucitatis duas colligimus cauſas, humiditatem arteriæ ex deſtillatione *cap. 6. lib. 4. locorum aff.* & frigidam intemperiem, *ex aph. 23. lib. 3.* At cum, teſte Galeno *cap. 9. lib. 6. ſanit. tuend.* multa capitis excrementa arteria aſpera ſuſcepit, fit raucedo: ſi fluxio perſeueret, vox exilis. Et hæc affectio, quia non coquitur in ſenibus, *ex aph. 40. lib. 2.* his à raucitate periculum impendet. At ex Hippocrate *part. 15. ſect. 4. libr. de vict. acut. & part. 38. comm. 2. in 1. prorrh.* homines rauci purgandi nunquam ſunt, nec ἄχροοι, id eſt, quibus deficit ſanguis. Igitur Hippocrates, qui has affectiones in occidentalibus deſignauit, tacitè declarat curandi ſumma remedia purgationem & euacuationem occidentalibus non conuenire, & proinde eos periculosè laborare.

ὑπὸ τῶν βορείων.] Seneca *in natur. quaſt.* quadruplicem ventorum vſum aſſignat. Primus eſt commoda nauigatio. Secundus pluuiarum & ſiccitatis alterna viciſſitudo. Tertius fructuum & ſegetum nutritio, & à ſuperfluis repurgatio, quia venti ſatorum alimentum à profundo terræ ad extimam ſuperficiem attrahunt. Quartus eſt aëris difflatio & conſeruatio. Cum enim aër ſit natura calidus & humidus, facile putreret, niſi difflaretur. Et Hippocrates *part. 1. ſect. 3. lib. 3. epid.* cum ſcripſit annum à ventis totum ſilentem, hanc ab impedita difflatione putredinis cauſam notauit. Idem Hippocrates *in lib. de morb. ſacr.* hanc aëris repurgationem ventis borealibus attribuit, cum inquit eorum eſſe propriũ aërem compingere, turbatumque & nebuloſum excernere, illuſtriorem & pellucidum reddere. Vnde & ab Homero boreas appellatur αἰθρηγενέτης, id eſt, *ſerenitatis parens.* Sed hoc cum diſtinctione eſt intelligendum: duobus enim modis agit boreas, frigore & motu; ideoque dixit Ariſtoteles *cap 6. lib. 2. meteor. & probl. 64. ſect. 26.* boream in locis ſuæ origini proximis nubiloſum eſſe, quia frigore nubes magis induret, quàm repellat. In locis autem remotioribus ſerenum, quia impetu ſiue motu magis quàm frigore agens nubes depellit.

ὑδατεινότατα.] Plinius *nat. hiſt. lib. 2. cap. 47.* ait ventos ſeptentrionales, & his vicinum corum eſſe frigidiſſimos, africum & auſtrum eſſe humidiſſimos, corum & vulturnum eſſe ſiccos, vulturnum & fauonium tepidos: Et ad ſummum ſeptentrionales & occidentales ventos orientalibus ſicciores concludit. Quomodo igitur erunt aquoſiſſimi? Solutio dependet ex diſtinctione Auicennæ *lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 10.* vbi inquit: *Venti occidentales ſi flent ſub finem noctis, & ſub diei principium, ſunt craſſiores & aquoſi: ſi ſub finem diei & noctis principium, ſunt tenues & ſicci.* Et Ariſtoteles *probl. 24. ſect. 26.* ventos occidentales flare non ait niſi ſub meridiem. Igitur ad conciliationem Plinij & Hippocratis dicemus, ventos occidentales origine eſſe humidiſſimos, progreſſu & fine ſiccos.

ἀπὸ τῆς ἠοῦς.] Videtur pugnare Auicennas cum Hippocrate *loc. cit.*

ait enim occidentales esse calore temperatos, & verno tempori similes. Quod & confirmari potest authoritate Arist. *probl.* 33. *sect.* 36. vbi ait fauonium ventum occidentalem serenum esse ac iucundissimum. Corn. quoque Celsus *cap.* 1. *lib.* 2. fauonium saluberrimum appellat. Quod & confirmari potest auctoritate Plutarchi *quæst.* 34. *lib. nat. caus.* vbi duas affert causas, cur fauonius sit celerrimus. Prima est, quod aëre repurgato flat; serenus igitur. Secunda, quod fauonius frigidus calore solis longiùs & citiùs propellitur. Sed quod dixit Auicennas de similitudine occidentalis regionis & veris, ratione confirmari potest. Vt enim sol orientales manè illustrat, sic occidentales meridie: tantumque temporis videtur esse apud hos, ac apud illos. Sed pro Hippocrate respondet Aristoteles *cap.* 6. *lib.* 2. *meteor.* scilicet quod sol orientales citò illustrat, & tardè deserit; contrà occidentales tarde illustrat, & citò deserit. Auicennasque similiter ait morbosissimam esse plagam occidentalem duabus de causis. Prima, quod aër sit crassus. Secunda, quod sol ad eam non perueniat, nisi cum tantum inualuerit, vt nimis calefaciat. Cuius rei causam supra diximus esse radiorum refractionem.

IPPO-

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ

ΠΕΡΙ ΑΕΡΩΝ, ΥΔΑΤΩΝ, ΤΟΠΩΝ,

Δεύτερον μέρος περὶ ὑδάτων.

HIPPOCRATIS

LIBRI DE AERIBVS, AQVIS, ET LOCIS;

Secunda pars, quæ est de aquis.

Text. I. ΠΕΡΙ δὲ τῶν λοίπων ὑδάτων βούλομαι διηγήσασθαι· ἅτε ἐστὶ νοσώδεα, καὶ ἃ ὑγιεινότατα. καὶ ὁκόσα ἀφ' ὕδατος κακὰ εἰκὸς γίνεσθαι. καὶ ὁκόσα ἀγαθά. πλεῖστον γὰρ μέρος ξυμβάλλεται ἐς τὴν ὑγιείην. ὁκόσα μὲν οὖν ἐστιν ἑλώδεα, καὶ στάσιμα, καὶ λιμναῖα,

CÆTERVM de aquis deinceps narrare volo, quę morbosæ sint, & quæ mala ab aqua fieri verisimile est, itéq; quæ bona. Plurimã enim partem conferunt ad sanitatem. Quæcunque igitur palustres sunt, & stabiles, & lacustres,

eas necesse est æstate esse calidas, ac crassas & olentes. Quum enim non defluant, sed aqua pluuia semper noua inferatur, & sol vrat, necesse est ipsas decolores esse, & prauas ac biliosas: Hyeme verò glaciatas & frigidas, ac turbatas præ niue & glacie, vt pituitosissimæ ac raucosissimæ existant. Bibentibus autem splenes semper sint magni ac pleni: & ventres duri, tenues ac calidi: humeri verò & claiculæ, & facies attenuata. In splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles existunt. Edaces autem esse tales, ac siticulosos par est, ventresque tum supernos, tum infernos siccissimos habere, vt etiam fortioribus medicamentis opus habeant. Atque hic morbus ipsis, & æstate, & hyeme familiaris est. Ad hæc etiam hydropes plurimi ac lethalissimi fiunt. Æstate enim dysẽteriæ multæ, ac alui profluuia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem morbi prolongati, tales naturas ad hydropas deducunt ac occidũt.

TEXT. II. ταῦτα ἀνάγκη. τοῦ μὲν θέρεος εἶναι θερμὰ καὶ παχέα, καὶ ὀδμὴν ἔχοντα. ἅτε οὐκ ἀπόρρυτα ἐόντα, ἀλλὰ τοῦ τε ὀμβρίου ὕδατος ἐπιφερομένου ἀεὶ νέου, τοῦ τε ἡλίου καίοντος, ἀνάγκη ἄχροά τε εἶναι, καὶ πονηρὰ καὶ χολώδεα. τοῦ δὲ χειμῶνος, παγετώδεά τε, καὶ ψυχρὰ, καὶ τεθολωμένα, ὑπό τε χιόνος καὶ παγέτων, ὥς τε φλεγματωδέστατα εἶναι καὶ βραγχωδέστατα. TEXT. III. τοῖσι δὲ πίνουσι, σπλῆνας μὲν αἰεὶ μεγάλους εἶναι καὶ μεμυωμένους· καὶ τὰς γαστέρας σκληράς τε καὶ λεπτὰς καὶ θερμάς. τοὺς δὲ ὤμους καὶ τὰς κληῖδας, καὶ τὸ πρόσωπον καταλελεπτύσθαι: ἐς γὰρ τὸν σπλῆνα αἱ σάρκες ξυντήκονται, διότι ἰσχνοί εἰσιν. ἐδώδούς τε εἶναι τοὺς τοιουτέους καὶ διψηρούς. τάς τε κοιλίας ξηροτάτας τε, καὶ τὰς ἄνω, καὶ τὰς κάτω ἔχειν, ὥστε τῶν φαρμάκων ἰσχυροτέρων δεῖσθαι. τοῦτο μὲν τὸ νόσημα αὐτέοισιν ξύντροφόν ἐστιν, καὶ θέρεος, καὶ χειμῶνος. TEXT. IV. πρὸς δὲ τουτέοισιν οἱ ὕδρωπές τε καὶ πλεῖστοι γίνονται καὶ θανατωδέστατοι. TEXT. V. τοῦ γὰρ θέρεος δυσεντερίαι τε πολλαὶ ἐμπίπτουσι, καὶ διάρροιαι, καὶ πυρετοί τε τεταρταῖοι πολυχρόνιοι. ταῦτα δὲ τὰ νοσεύματα μηκυνθέντα, τὰς τοιαύτας φύσιας ἐς ὕδρωπας καθίστησι, καὶ ἀποκτείνει.

TEXT. VI.

ταῦτα μὲν αὐτέοισι τοῦ θέρεος γίνεται. τοῦ δὲ χειμῶνος τοῖσι νεοτέροισι μὲν περιπνευμονίαι τε καὶ μανιώδεα νοσεύματα. τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι καῦσοι, διὰ τὴν τῆς κοιλίης σκληρότητα.

Et hi quidem morbi ipsis æstate fiunt. Hyeme verò iunioribus quidem peripneumoniæ & insaniæ morbi: senioribus vero febres ardentes propter ventris duritiem.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Περὶ δὲ τῶν λοιπῶν.] Vt mos est Hipp. generalia primum proponere, tum specialia subiungere, & scopũ suæ tractationis ostendere, ita & hoc loco facit. Quod enim dicit se declaraturum aquas, tam bonas, quàm malas, hoc genericum est. Quod autem subiungit se ostensurum, quæ quarum aquarum sint bona vel mala, hoc particulare est, & ad authoris scopum intelligendum pertinet. Subiungit autem, hoc plurimum conferre ad sanitatem, quoniam (vt ait Galenus *cap. 3. lib. 4. meth.*) causæ procatarcticæ, etiam si non faciant morborum curandorum indicationem, tamen ad ipsorum cognitionem conferunt: Adde quod aqua in corpus assumpta, & non excreta, antecedens vel coniuncta morbi causa esse potest, proinde indicare potest. TEXT. I.

τὸ μὲν θέρεος εἶ.] Innuit Hippocrates has aquas esse putridas æstate, vi caloris externi, & humiditatis immobilis. Aristoteles enim *probl. 21. sect. 2.* inquit sudorem idcirco esse æstate promouendum, quod tunc temporis omnia facillimè putreant. Sed inquisitione dignum est, cur hæ crassescant æstate, tum quid istam sequatur crassitiem. Aristoteles enim *cap. 2. lib. 2. de generat. animal.* inquit semen idcirco non esse aquã, quod calore crassescat. Et *in libro de sensu* inquit *aquam calefactam saporis esse expertem*, quod omnis sapor sit in crassamento, aqua verò calore non crassescat. Quod verum est *de puris & simplicibus aquis*, non de his quæ, vel cum terra, vel cum aquis miscentur, vt inquit Aristoteles *eodem loco de generatione animal.* longéque apertius *cap. 10. lib. 4. meteorῶν*, cum inquit aquas omnes quæ calore crassescant componi ex aqua & terra. Malus autem sapor sequitur istam crassitiem putrentem: & quoniam æstiui caloris proprium est siccare; his actis, ingeneratur siccitas, quæ cum putredine causa est odoris mali. Siquidem, vt ait Aristoteles *in lib. de sens.* odor est à sicco, putredo autem ab his locis, quæ libertate perspirationis carent, vt inquit Arist. *probl 6. sect. 2.* TEXT. II.

ἀπὸ τῶν ἀπόρρυτα.] Tribus de causis mouetur aqua. Primum quidem ad necessitatem, quoniam omnis aquæ origo est in superiore loco, proinde grauitate sua deorsum feratur necesse est: Mouetur quoque ad

commodiorem hominum vsum, quoniam terras irrigat & fœcundas reddit: sed præcipuè & maximè mouetur ad sui ipsius conseruationem: quoniam motu alium atque alium aërem recipit, & nunquam eadem est aqua, sed fluenti noua succedit, vt scribit Aristoteles *probl. 7. sect.* 14. Hic igitur Hippocrates causam putredinis assignat immobilitatem, vt & Aristoteles *probl. 7. sect.* 13. cum inquit quiete qualitatis interioris putredinem oriri.

ἀλλὰ τῶ τε ὀμβρίου ὕδατος.] Aqua pluuia (vt inquit Hipp. hoc libro) celerrimè omnium putret & malum odorem habet. Cuius rei rationem reddit Paulus Ægineta *cap.* 50. *lib.* 1. quoniam ex diuersissimis naturis constat, cum vapor pluuiarum materia à diuersissimæ temperaturæ variis corporibus educatur. Et Aristoteles *probl.* 14. *sect.* 15. inquit aquas sole percoctas esse insalubres, propterea quod nimium siccant. Quæ etiam causa est, cur hîc Hippocrates has aquas appellauerit biliosas.

ἄχροά τε εἶ.] Ex Aristotelis problemate 12. sect. 14. qui per mare nauigant, sunt coloratiores, propterea quod alium atque alium aërem mutant, & liberæ perspirationis est hilaritatem exhibere; contrà qui in paludibus degunt sunt decolores. Per tropum igitur metonymiæ dici possent paludes decolores, quia tales homines reddant. Propriè tamen hic locutus est Hippocrates, quemadmodum supra, cum diceret occidentales esse decolores, quod à sole vrantur. Ex Aristotelis autem *probl.* 6. *sect.* 23. natiuus aquarum color subpallidus est atque cæruleus: sed in stagnantibus aquis redditur subcandidus, propter crassitiem & immobilitatem. Eædem sunt biliosæ, propterea quod ex Aristotele *probl.* 14. *sect.* 15. siccæ sunt, & quia, ex Hippocrate *part.* 40. *sect.* 3. *lib. de victu acutor.* aqua in hypochondriis morã faciens bilescit.

τῶ δὲ χειμῶνος παγετώδεά τε.] Aquæ calefactæ citius & diutius refrigerantur, sed diuersa ratione. Ex Aristotele enim *cap.* 12. *lib.* 1. *meteor.* si aqua calefacta pura est, citiùs refrigeratur, & gelu contrahit, quoniam attenuatur: sed quæ aqua impura est, quoniam constat duobus frigidis elementis aqua & terra, per calorẽ euaporato eo quod tenuius est, & magis aëreum, diutius gelu contractum retinet. Vnde scripsit Aristoteles *cap.* 4. *lib.* 2. *de part. animal.* terrea & humida, id est, aquea frigore concrescere. Quæ postrema ratio in paludib. valet. Hæ autem à niue & gelu turbantur, sed diuersa ratione. A niue quidem, propter alienæ materiæ admixtionem. A gelu autem, quoniam (vt inquit Hippocrates hòc libro) per glaciem quod tenuius est in aqua consumitur. Corpus igitur aquæ palustris, quoniam crassius est, & quoniam solis radij hyeme debiliores, idcirco eiusmodi aquæ solis lumine ad recipiendam perspicuitatem accommodatæ reddi non possunt. Quæ vna causa est pelluciditatis, & aquarum, & aëris, vt contendit Gal. 6. *epid. sect.* 4. *part.* 10. & *lib.* 7. *de decretis Hipp. & Plat. cap.* 5. Qui tamen degunt in palustribus locis, aquis vernaculis citra offensam vti possunt, si eas coquant, & vbi refrigeratæ fuerint, percolẽt. Nam, (vt notat Gal. *ad part.*

10.*sect.4.lib.6.epid.)* aquæ coctæ refrigeratę quicquid terrestre est subsidet. Et vt probat Aristot. *probl.18.sect.23.* aquæ salsæ calefactæ & refrigeratæ bibi possunt, quia salsedinis portio coquitur, & post refrigerationem subsidet. Igitur percolatione purificabitur. Quod docet Gal. *cap. 4. lib. 1. de simpl. med. facult.* Alexandrinorum exemplo rectè fieri vasis terreis rarefactis.

φλεγματώδεα.] Hæ aquæ, quia frigidissimæ sunt, idcirco pituitosæ, & quia frigidum est inimicum pectori, inde raucedo: tum etiam cum ex Hippocr. *lib.4. de morb.* caput instar cucurbitæ pituitam à ventriculo attrahat, eius postea destillatione in fauces raucedo gignetur.

πίνουσι δὲ] Hippocrates sequitur artificium propositum, & vbi docuit aquarum palustrium malitiam, morbos aggreditur, incipitque ab eo qui communior est, vt qui omni tempestate fiat, estque splenis tumor scirrhosus cum superiorum corporis partium attenuatione. TEXT. III.

σπλῆνας μὲν αἰεὶ μεγάλους.] Galenus *ad part. 33. sect. 3. in 1. prorrhet.* exponit splenes magnos, eleuatos, tumentes vel inflammatos. Cuius rei causa ab aquarum palustrium potione desumi debet ex natura lienis. Lien enim, vt ait Galenus *cap. 15. lib. 4. de vsu partium*, est natura laxus & rarus factus, simis partibus hepar respiciens, plurimis munitus arteriis, vt raritatem suam seruet, & plurimum caloris habeat, atque adeo beneficio caloris plurimos humores attrahat, & vi raritatis in se contineat. Sic enim docuit Hippocr. *lib. 1. de mulier. morb.* comparatione lanarum, & panni optimè contexti, omne rarum atque spongiforme, plurimos humores attrahere, atque in se continere.

μεμυωμένους.] Si volumus interpretes hic sequi, legendum est μεμεστωμένους, id est, plenos. Ex Galeno autem *part. 30. sectione tertia lib. de humoribus*; lien, pulmo & cerebrum quia caua sunt, fluxionibus facile implentur. Vnde dixit Hippocrates *lib.4. de morb.* splenem & cerebrum partes maximè cauas morbis esse obnoxias, cum à suis humoribus complures accesserint, tum etiam ab aliis quos excipiunt. Aut legi oportet μεμυωμένους, id est, obstructos. Quæ lectio confirmari potest authoritate Hippocratis *in libro de affect.* & Gal. *ad part. 4. sect. 3. l. de humor.* Ambo enim distinguunt lienem magnum à pituita & à bile: quod qui à pituita est, minor reddi possit: qui verò à bile, consimili magnitudine semper manet.

σκληράς τε.] Quemadmodum Hippocrates supra cum de septentrionalib. loqueretur, dixit ventres esse duros & crudos, propterea quod, vt inquit Gal. *ad part. 27. sect. 5. lib. 6. epid.* sphincter frigore constrictus fæces sursum repellit, & moram facere compellit. Sic hîc contrà, propterea quod maximè viscera calent, & lien inflammatione tentatur, excrementa torrentur. Sic & Gal. *ad prognost. 3. lib. 2.* inquit hydropum ab inflammatione iecoris fæces esse duras & aridas propter inflammationem, & propterea quod iecur in peritonæi capacitate exudat, & diutius excrementum moram trahit.

ἢ λεπτάς.] Quod autem dicit hic aluos esse tenues, interpretes volunt

intelligendum de partibus vmbilici, quæ propter atrophiam attenuantur. Sed cum *ex Aphoris. 35. lib. 2.* eiusmodi homines ad purgationes per inferiora malè se habeant, hîcque velit Hippocrates validissima medicamenta propinari, non stat interpretatio, sed tenuitas ad excrementa quoque referenda est. Quomodo autem deiectio dura erit & tenuis, cum tenue sit apud Hippocratem, quod corpulentiam nullam habet, vt notat Gal. *ad prognost. 28. lib. 2.* & cum Galenus *cap. 11. lib. 1. de simpl. medic.* durum tenui semper opponat? Respondemus, sæpissimè in ægrotis inæquales fieri deiectiones, vnde pars ipsarum dura redditur, pars autem liquida biliosa. Sæpe etiam incipiente inflammatione, dum robustum est adhuc viscus, dura fit deiectio: sed inflammatione perfecta, debilitato viscere fit liquida.

τοὺς δὲ ὤμους καὶ τὰς κληῗδας καὶ τὸ πρόσωπον.] Galenus *ad part. 29. sect. 3. lib. 6. epid.* attenuationem definit molis corporeæ subsidentiam. Cuius cum multæ sint causæ; inopia, exercitatio nimia, vigiliæ, cogitationes, dolores, euacuationes, morbi colliquantes, tum illa hîc præcipuè valet, quod tenuis & serosus sanguis venarum & arteriarum sit, carnosique generis facultas nutriens debilitetur. Hanc facultatem debilitari inde patet, quia refrigeratur. Refrigeratio probatur ex sententia Hippocr. *part. 23. sect. 4. lib. 6. epid. ventriculo calidos esse carne frigidos*, quia corrumpitur cibus, & in nidorosos vapores resoluitur, vnde coctione deprauata carnes macrescunt. Sed cur ab his præcipuè partibus? Scripsit Hippocrates *part. 29. sect. 2. lib. 6. epid.* his quibus est lien *κατάρροπος*, id est, in extremitate tumens; genua & pedes, id est, partes inferiores calere, aures autem & nasum, id est, partes superiores frigescere. Galenus quoque *ad prognost. 8. lib. 1.* ostendit cur facies Hippocratica tertio die apparere possit, nempe quod partes superiores tenuiore sanguine nutriantur, & propter debilitatem retentricis facultatis, humorum tenuitatem, caloremque biliosum, ab his partibus attenuatio incipiat. Præter quas, teste Hippocrate *in lib. de loc. in hom.* epiploon in inflammationibus lienis colliquatur, & in eius capacitatem tota hæc pinguedo deponitur.

θερμοκοίλιοι, ψυχρόσαρκοι.

αἱ σάρκες ξυντήκονται.] Galenus *ad ægrum primum sect. 3. lib. 3. epid.* notat duplicem colliquationem; vnam pinguedinis & humorum, cuius est index vrina pinguis; alteram solidarum partium, cuius est index deiectio pinguis. Hæc postrema fit à vehementi calore, prior à mediocri. Cum igitur colliquatio superiorum partium, quemadmodum etiam excrementa serosa earundem, per venas ab hepate in ventrem diffluat, vt notat Galenus *ad progn. 13. lib. 2. & cap. 7. lib. 1. de sympt. causis*, lien ab ipso exhauriet. Nam, vt notat Hippocrates *lib. 4. de morbis*, lien à ventriculo omnes aquas, id est, omnes ichores sugit. Vnde pronuntiauit generaliter *in libro de locis in homine, Ex iisdem rebus splen efflorescit, & vniuersum corpus contabescit.*

ἐδωδούς τε εἶναι τούς.] Videtur secum pugnare Hippocrates, qui cum de borealibus loqueretur, dixit, eosdem non posse esse voraces & bibaces.

Sed cum aquæ paluſtres hyeme frigidæ ſint, & aqua frigida ſit vorax, tunc temporis voraces ſunt. Et cum eædem aquæ æſtate ſint bilioſæ, tunc erunt ſitibundi naturaliter. Tamen per accidens vtrumque ſimul ſentire poſſunt affectum: ſitim quidem propter calorem ventriculi; famem verò propter magnitudinem lienis & plenitudinem, qua fit vt magna portio ſucci melancholici per vas venoſum in ſtomachum deriuetur, vnde appetitus caninus.

ὥστε τῶν φαρμάκων ἰσχυροτέρων.] Scripſit Hippocrates *in lib. de purg. medic.* quibus eſt aluus dura, his fortioribus catharticis opus eſſe, quia valida eſt retentrix facultas: vnde fit, vt ſæpe in febribus calore vigente medicamentum nihil purget, & rapiatur in venas. Vnde Rondeletius *cap. 2. lib. de ponderib.* inquit Hiſpanos Perpiniani degentes fortium medicamentorum, non drachmis, ſed vnciis purgandos, quoniam propter borealem conſtitutionem ſint aluo ſicca; ideoque eodem pharmaci genere ſollicitandos: Pariſienſes autem leui, ob humiditatem loci.

ὕδρωπές τε.] Inquit Hippocrates ad ſcirrhoſum lienis affectum hydropas ſequi, cuius rei demonſtratio habetur *lib. 1. de morb. mulier. Vbi ſingulis partibus pluſquàm oportet, affluxerit, & continere non potuerint, altera ad alteram humores ſuperfluos transferat eſt neceſſe.* Igitur ex aquæ paluſtris potu nimio, quem nec vomitus, nec alui deiectio ſufficiens, nec vrina copioſa, nec ſudor ſequatur, lien iam tumidus & attrahere aſſuetus, per venas in omentum, & locos circa ventrem, atque crura ſuperfluam humiditatem diſtribuet, vnde hydrops aſcites. Cuius cum ſecundum Auicennam *lib. 3. tract. 3. fen. 14. cap. 5.* tres ſint cauſæ; vna vitium αἱματώσεως iecoris; altera vitium facultatis renum ſecretricis, qui vrinam non attrahunt; tertia tumor viſceris & obſtructio, hæc poſtrema aſcitis eſt cauſa hoc loco. TEXT. IV.

τὸ γὰρ θέρεος δυσεντερίαι.] Tres affert cauſas Hippocrates, cur hic hydrops ſit lethalis; dyſenteriam, diarrhœam, & febrem quartanam. Nec diſſimili ratione videtur dixiſſe *aph. 43. lib. 6.* lienoſis, id eſt, quibus lien obduruit, dyſenteria longa ſuperueniente, aquam intercutem aut lienteriam excitari, & homines emori: quia natiui caloris in iecore ſymmetria corrumpitur. Et cum dyſenteria ſecundum Hippocr. *in lib. de affect.* primò bilem & pituitam, poſt ſanguinem excernat, erit hydrops ſubſequens lethaliſſimus. Siquidem (vt inquit Hippocr. *lib. 2. prorrh.*) *quicunque ex multo ſanguinis ſurſum vel deorſum irrumpentis fluxu hydropes fiunt, lethaliſſimi ſunt.* Adde etiam quod dyſentericus fluxus ciborum in hepar diſtributionem impedit, ſicque deſtitutum alimento friget, & marceſcit. TEXT. V.

καὶ διάρροιαι.] Diarrhœam intelligit à bilioſo humore ſuperabundante, quem paluſtris aqua æſtate bilioſiſſima progignit. Hippocr. autem *aph. 21. lib. 3.* diarrhœam poſuit inter morbos æſtiuos. Et hæc confirmat, quod ſuperius dictum eſt, ventres tenues illîc dici, non à partium carnoſarum macie, ſed à deiectionum liquiditate.

καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι πολυχρόνιοι.] Hic duplex oritur difficultas. Prima,

quomodo quartanæ febres æstate hîc dicantur esse diuturnæ, cum dixerit *aph.21. lib.2. Quartanas autumnales longas, & præcipuè quæ hyemem attingunt, æstiuas verò breues;* cuius rei rationem reddit Galenus *part. 21. sect. 6. lib. 6. epid.* quod æstiuæ quartanæ fiant ab humore adusto & acri, qui celerius mouetur; autumnales autem à fæculento sanguine crasso & frigido. Secunda difficultas est, quomodo *part. 4 sect. 3. lib. 1. epid.* quartanas dixerit omniũ facillimas & securissimas; & *part. 7. sect. 6. lib. 6. epid.* magno morbo *non corripi eos qui quartana laborant, & si ante eo correpti fuerint, liberari.* Ad primam difficultatem oportet respondere, hîc febres quartanas æstate esse diuturnas, non vitio tempestatis, sed visceris. Nam (vt inquit Galenus *eodem in loco lib. 1. epid.*) febris nomen apud veteres accipiebatur pro morbo primigenio, non pro eo qui symptoma esset inflammationis, aut alterius tumoris præter naturam, vt hîc scirrhi. Ad secundam dicere oportet, febres quartanas simplices esse facillimas, sed cum scirrho coniunctas esse deterrimas.

τὰς τοιαύτας φύσιας.] Ex Hippocrate *lib. 2. prorrhetici* hydropis non lethalis sex signa sunt; *Si homo sit bonis visceribus præditus, si benè coquat, benè spiret, sit sine dolore, sit toto corpore æquabiliter tepidus, nec partium extremarum habeat colliquationem:* hic igitur hydrops cum bonis visceribus careat (est enim liene scirrhoso;) non benè coquat, (patitur enim alui profluuia;) colliquetur, lethalis est.

TEXT. VI. τοῦ δὲ χειμῶνος.] Vt æstate aluus fluebat, ob bilis acrimoniam ab aquis palustribus: sic nunc aluus dura est & cruda, ob earundem aquarum & ambientis frigiditatem. Et hanc ait esse causam Hippocrates, cur iunioribus fiant peripneumoniæ & senioribus febres ardentes: sic enim supra cum de septentrionalibus loqueretur, ventris duritiem morborum acutorum causam faciebat.

περιπνευμονίαι.] Supra ostensum est peripneumonias esse morbos hyemales. Sed cur potius iuuenum? cum *ex aph. 30. lib. 3.* hæ hominum ætate constantium sint. Primum supponendum est, *ex prognost. 69. lib. 2.* peripneumoniam esse morbum, tam iuuenum, quàm seniorum. Et quia iuuenes hyeme calidiore sunt ventriculo, id est, temperatiore, meliusque coquunt, interim autem ab aquis, & aëre frigidiore pulmo læditur, idcirco pars debilior citius affectum concipit. Tamen si ætate constans & iuuenis peripneumonia corripiantur, *ex eodem prognostico,* iuuenis facilius liberatur, quia melius expectorat.

ἐμανιώδη.] Hic duplex oritur difficultas. Prima, cur hyeme maniæ fiant, cum *ex aph. 20. lib. 3.* sit vernus morbus, & *aph. 22. eiusdem libri* sit autumnalis. Secunda, cur sit morbus iuuenum, cum Hippocr. *part. 59. sect. 2. lib. 1. epid.* natu maioribus insaniæ fiant, quia naturæ imbecillitas, nec vomitu, nec hæmorrhagia cerebri excrementa expurgat. Ad primum igitur, notandum est ex Galeno *ad part. 1. sect. 1. lib. 1. epid.* autumnum esse indiuisibilem, & duorum mensium tantum, cuius principium æstati respondet, & æstiuos morbos habet: finis autem hyemi

respondet, vt notat Galenus *aph.23.lib.3.* Cum igitur hic æstate vigerent diarrhœæ & dysenteriæ, continuari oportebat primo autumno: aluo autem fluente non fiunt maniæ, cum *ex aph.5.lib.7 maniacis dysenteria fit bonum.* Igitur sub finem autumni frigore aluus incepit indurari, cumque facta est humoris biliosi ad caput metastasis, & sic sub autumni hyemisque principium maniæ vagabantur. Idque præcipuè ætate iuuenili, propter humoris & temperamenti similitudinem. Nam, vt ait Galenus, *ad aph.56.lib.6.* mania fit à flaua bile adusta, aut à melancholico succo, qui malignam putredinem acquisiuit. Sunt autem phrenitis, delirium, mania affectiones mentis alienatæ. Sed phrenitis est continuum delirium, cuius symptoma fit febris: delirium autem incipit tantum vigente morbo, & cessat declinante, estque febrilis caloris caput occupantis symptoma: Mania autem est continuatum delirium sine febre, vt inquit Galenus, *part. 1. comm.1.in lib. 1.prorrh.* vbi sub mania melancholiam comprehendit, quemadmodum Hippocrates *aph.21.lib.6.* Sed si velis accuratè distinguere, mania est cum ferocia, vt notat Galenus, *aph 53.lib. 6.* melancholia autem cum timore & tristitia, *ex aph. 23. lib.6.*

τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι.] Quid intelligat Hippocrates per πρεσβυτέροις, ipsemet declarauit *part. 59.sect. 2. lib. 1. epid.* cum inquit, *in quibus iam color natiuus superatur.* Idem Hippocrates appellauit γεραιτέρυς *prognost. 69. lib.2.* Galenus autem interpretatur *semicanos & crudos senes,* medios inter florentes & verè senes.

καῦσοι.] Rursum hic duplex oritur difficultas. Vna, cur febres ardentes hyeme. Altera cur ætate constantibus. Galenus enim *ad part. 18. sect.3. lib.de humorib. & ad part. 16.sect.8.lib.6. epid.& ad aph.34.lib. 2.* inquit febrem ardentem hyeme esse non posse, nisi magna sit præter naturam affectio. Tamen Hippocr. *part.15.16.17.18.19.sect.2.lib.1.epid. & part.61.62.63. eiusdem sect.& lib.* meminit febrium ardentiũ hyemalium, quæ leues erant, citra morrem, delirium & hæmorrhagiam. Sed ex Galeni commentariis in has auctoritates talis potest elici distinctio, febrem ardentem hyemalem esse duplicem. Vnam, quæ gignitur vitio humoris biliosi præcedente tempestate collecti, qui non euacuatus hyeme putruit. Alteram, quæ fit à deprauata diæta, quod videlicet seniores, etiam si debilem habeant coctionem, tamen eadem diæta vtuntur ac ætate florentes. Hîc igitur tam diæta deprauata, quàm per aluum duram biliosa euacuatione suppressa febris ardens excitabatur, in primis hepatis & ventriculi venis humore putrefacto. Senioribus autem istud eueniebat, quoniam *ex aph.30.lib.3.* febris ardens inter morbos hominum ætate constantium numeratur, ob malam viuendi rationem. Et cum sit quadruplex febris ardentis crisis, diarrhœa, hæmorrhagia, icterus, ex Hippocr. *part. 66.sect.2.lib.1.epid.* & rigor criticus, *ex aph 58.lib.4.* Rigor vix sperari poterat nisi in natura forti. Desiderabatur diarrhœa ob aluum duram. Non fit hæmorrhagia vltra trigesimum quintum annum. Supererat igitur icterus, qui tamen minus

securus est, vt & omnis abscessus, qui fit per decubitum humoris.

σκληρότης.] Scripsit Hippocrates *part.28. sect.5. lib. 6. epid. Venus quæ in ventre sunt, durat.* Rationem reddit Galenus, *quia refrigerat & exsiccat.* Idem *part.27. sect. eiusd. & lib.* scripsit. *Refrigeratio quæ in ventre sunt durat.* Et Gal. *in comm.* inquit, non tam vi refrigerationis id fieri, quæ viuis nobis tanta esse non potest in intestinis, vt fæces induret, quàm vi siccitatis. Frigus enim diutius excrementa coërcens facit vt exsiccentur. Et hæc causa est, cur hyeme aluus sit dura.

MVlieribus autem tumores oboriuntur, & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnos ac tumidos: deinde ex alimentis tabescentes ac deprauati fiunt, & purgatio commoda post partum mulieribus non contingit. Pueris vero herniæ accedunt, & viris varices, & vlcera in tibiis. Quare fieri non potest, vt tales naturæ longæuæ sint, sed ante temporis aduentum senescunt. Præterea fœminæ se in vtero habere putant, & vbi partus tempus adest, ventris moles illa ac plenitudo euanescit. Hoc autem contingit ex aqua, quum vteri ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas esse censeo. Secundo vero loco eas, quarum fontes è petris scaturiunt. Duras enim esse necesse est: aut isthic

TEXT. VII.

ΤΗσι δὲ γυναιξὶν οἰδήματα ἐγγίνεται. καὶ φλέγμα λευκόν. καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι μόλις. καὶ τίκτουσι χαλεπῶς. μεγάλα τε τὰ ἔμβρυα καὶ οἰδέοντα. ἔπειτα ἐν τῇσι τροφῇσι φθινώδεά τε καὶ πονηρὰ γίγνεται. ἥ τε κάθαρσις τῇσι γυναιξὶν οὐκ ἐπιγίνεται χρηστὴ μετὰ τὸν τόκον.

TEXT. VIII.

τοῖσι δὲ παιδίοισιν, κῆλαι ἐπιγίνονται. μάλιστα μὲν τοῖσιν ἀνδράσιν κιρσοὶ καὶ ἕλκεα ἐν τῇσι κνήμῃσιν. ὥς τε τὰς τοιαύτας φύσιας, οὐχ οἷόν τε μακροβίους εἶναι, ἀλλὰ προγηράσκειν τοῦ χρόνου τοῦ ἱκνευμένου.

TEXT. IX.

ἔτι δὲ αἱ γυναῖκες δοκέουσιν ἔχειν ἐν γαστρί. καὶ ὁκόταν ὁ τόκος ᾖ, ἀφανίζεται τὸ πλήρωμα τῆς γαστρός. τοῦτο δὲ γίγνεται ἀπὸ ὕδερου, ὁκόταν ὑδρωπιήσωσιν αἱ ὑστέραι. τὰ μὲν τοιαῦτα ὕδατα νομίζω μοχθηρὰ εἶναι πρὸς ἅπαν χρῆμα.

TEXT. X.

δεύτερα δὲ ὅσων εἶεν αἱ πηγαὶ ἐκ πετρέων. σκληρὰ γὰρ ἀνάγκη εἶναι. ἢ ἔνθα

TEXT. XI. ὅκου θερμὰ ὕδατά ἐστιν, ἢ σίδηρος γίγνεται, ἢ χαλκὸς, ἢ ἄργυρος, ἢ χρυσὸς, ἢ θεῖον, ἢ στυπτηρία, ἢ ἄσφαλτον, ἢ νίτρον. ταῦτα γὰρ πάντα ὑπὸ βίης γίνονται τοῦ θερμοῦ. οὐ τοίνυν ἐκ τοιαύτης γῆς ὕδατα ἀγαθὰ γίνεται, ἀλλὰ σκληρά τε καὶ καυσώδεα. διουρέεται χαλεπά· καὶ πρὸς τὴν διαχώρησιν ἐναντία εἶναι· ἄριστα δὲ ὁκόσα ἐκ μετεώρων χωρίων ῥέει καὶ λόφων γεηρῶν. αὐτά τε γάρ ἐστι γλυκέα. καὶ λευκά. καὶ τὸν οἶνον φέρειν ὀλίγον οἷά τε ἐστί. τοῦ δὲ χειμῶνος

TEXT. XII. θερμὰ γίνεται. τοῦ δὲ θέρεος ψυχρά. οὕτω γὰρ ἂν εἴη ἐκ βαθυτάτων πηγέων. μάλιστα δὲ ἐπαινεῖν, ὧν τὰ ῥεύματα πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου ἐῤῥώγασι, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς θερινάς· ἀνάγκη γὰρ λαμπρότερα εἶναι, καὶ εὐώδεα, καὶ κοῦφα. ὁκόσα δὲ

TEXT. XIII. ἐστιν ἁλυκὰ καὶ ἀτέραμνα, καὶ σκληρὰ, τῷ μὲν πάντῃ πίνειν οὐκ

TEXT. XIV. ἀγαθά· εἰσὶ δ' ἔνιαι φύσιες καὶ νοσεύματα, εἰς ἃ ἐπιτήδειά ἐστι τοιαῦτα ὕδατα πινόμενα, περὶ ὧν φράσω αὐτίκα· ἔχει δὲ καὶ περὶ τουτέων ὧδε.

vbi calidæ aquæ exiſtunt, aut ferrum naſcitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut ſulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia præ violentia caloris naſcuntur. Non itaque ex huiuſmodi terra aquæ bonæ prodeunt, ſed duræ & æſtuoſæ, quæ difficulter minguntur, & ad alui egeſtionem contrariæ ſunt. Optimæ verò ſunt, quæ ex ſublimibus locis ac terreis collibus fluunt. Hæ enim & dulces ſunt & albæ, & vinum modicum ferre poſſunt: & hyeme calidæ fiunt, æſtate verò frigidæ. Tales enim fuerint ex profundiſſimis fontibus. Maximè verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad ſolis exortus erumpunt, & præſertim ad æſtiuos. Neceſſe eſt enim odoratas eſſe ac leues. Quæcunque verò ſalſæ, & crudæ ac duræ ſunt, ad hoc quidem vt omnes bibant, non bonæ ſunt. Sunt tamen aliquæ naturæ & morbi, in quibus tales aquæ in potu commodæ ſunt, de quibus ſtatim dicam. Habet autem & de his hoc modo.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

TEXT. VII. Τὴν δὲ γυναιξὶν] Describit nunc Hippocrates morbos mulierum proprios, tam ratione suæ intemperiei frigidæ, quam ratione sexus. Ratione intemperiei duos, œdema & anasarcam. Ratione sexus, quinque; difficilem conceptum, molestum partum, tumidum fœtum, inopiam alimenti educto fœtu, & lochiorum purgationem non benè procedentem.

οἰδήματα.] Intelligit tumores molles & doloris expertes, qui compressi digito cedunt, suntque diuturni, *ex prægnost.* 34. *lib.* 1. Sed si œdemata fiebant ad cutim, cur postea consurgebat hydrops anasarca, cum his abscessibus viderentur repurgari partes corporis interiores? Notatu dignum est, quod scribitur à Galeno *ad aph.* 15. *lib.* 2. abscessus videlicet duobus modis excitari: Aut enim vniuersa materia offendens à profundo corporis repurgatur in partes extimas, & hoc appellatur ab Hippocrate μετάστασις, estque maximè salutaris hæc abscessus ratio: Aut sic expurgatur ad extima vitiosus humor, vt remaneat fomes & perennis eiusdem procreatio in corpore, hocque appellatur apud Hippocratem *epigenesis*, & semper est mala; qualiter hic ex aquæ potu, refrigerato hepate & vniuersa corporis habitudine, excitabantur œdemata, ad quæ subsequebatur anasarca.

καὶ φλέγμα λευκόν.] Hippocrates *in libro de affectionibus internis* inquit à nimio somno, & ab aquæ potu gigni pituitam albam, quam facimus eam hydropis speciem quæ dicitur anasarca. Et in hac totum corpus tumet, venter incrassatur, pedes, femora, tibiæ, & scrotum inflantur, facies rubet, os siccum est, & sitit, spiratio frequens. Hic autem hydrops omnium est facillimus, partim quia venæ sectionem admittit, vt inquit Hippocrates in eodem libro, & Galenus *ad part.* 21. *sect.* 4. *lib. de vict. acut.* quàm etiam quia ventris profluuio facillimè curatur, *ex aph.* 14. *lib.* 6. *& aph.* 29. *lib.* 7. Sit ne autem curabilis an non hic hydrops, iudicatur intra triginta dies.

μεγάλα τε τὰ ἔμβρυα καὶ οἰδέοντα.] Huius rei meminit Hippocrates *in lib. de oct. part.* cum ait fœtus in vtero morbo sæpissimè laborare, vnde contingit illos esse crassiores atque maiores quàm par sit, non ab incremento, sed à tumore œdematoso. Qui tumor, si intra dies triginta non desederit, morbos parit, quoniam & alimentum & respiratio deterior redditur.

ἥτε κάθαρσις.] Scripsit Hippocrates *in libro de natura pueri, & lib.* 1 *de mulierum morbis*, conformationem fœminæ esse quadraginta duorū dierum ad summum, masculi verò triginta: quo conformationis tempore mulier grauida potest esse menstrua. Ibidem Hippocrates inquit à par-

tu fœminæ purgationē lochiorum esse quadraginta duorum dierum, à partu verò masculi triginta. Quibus ex locis patet eundem esse lochiorum purgandorum numerum dierum, qui fuit conformationis. Tamen quæ fœminam peperit, si viginti quinque diebus: quæ verò masculum, si viginti purgetur, rursum extra periculum est. Si secus fiat, aut inflammatio in causa est, aut os vteri clausum, aut debilis facultas expultrix, aut sanguis crassior, aut venę obstructæ: & tum vterus induratur, lumbi, latus, inguina, femora, pedes dolent, venter tumet, corpus horret, febris adest: aut translata ad caput materia aphonia fit atque conuulsio. Quod igitur harum mulierum venæ sint angustæ, sanguisque præ cotyledonum obstructione pituitosa, ac sua crassitie minus ad fluendum idoneus, non est bona à partu purgatio. Vnde & Hippocrates *in libro de mulierum morbis*, meminit mulierum lienosarum, quarum menses sunt hydropum similes, aut loturę carnium. Sunt autem mulieres palustris loci lienosæ.

παῖσι δὲ παιδίοισιν.] Ex Hippocrate *lib.3. aphorismorum aphorismo* 24. 5. 6.7. colligere est puerilem ætatem extendi vsque ad decimum quartum annum, diuidique in quatuor partes, quarum prima est recens natorum, secunda dentientium, tertia paulo prouectiorum, quarta accedentium ad pubertatem. TEXT. VIII.

κῆλαι.] Galenus *cap.19. lib. de caus. morb.* herniam ponit inter morbos vitiatæ positionis, cuius duas assignat causas, dilatationem peritonæi ab humiditate nimia, aut eiusdem ruptionem à distentione, vel violento motu: fitque hernia, vel in scrotum prolapsu epiploi, intestini, carnis, venæ, aquæ, atque flatus; aut ad inguen, vt in virginibus. Hic fit hernia à nimia humiditate aquarum epotarum.

ἀνδράσι.] Galenus *ad prognosticum* 32. *lib.3.* inquit nomen viri & mulieris ab Hippocrate non efferri solere nisi de perfectis, qui superarunt trigesimum annum.

κιρσοὶ & ἕλκεα.] Galenus *ad part.26. sect.3. lib. de humor.* ait varices esse venarum in femoribus & cruribus dilatationes à crasso & melancholico sanguine. Tamen Hippocr. *in lib. de affect. intern.* meminit varicis in pulmone. Et Galenus *cap.4. lib. de atra bile* varices ait esse venas ad scrotum, crura aut aliam quamuis partem, copia succi melancholici tumefactas. Fiunt autem præcipuè in tibiis, partim quia humor grauis est, partim quia summa est harum partium cum cęteris per venam cauam communicatio, partim quia crurum decliuis est situs, summaque debilitas caloris, quod crura procul sint à vitæ principiis. Hique varicosi abscessus sunt salutares, ex Hippocr. *sect.1. lib.2. epid.* quia infra, quia longissimè à ventre, quia remotissimè à morbo.

μακρόβιοι.] Ex Hippocr. *lib.1. de diæt.* duobus modis est vita breuis, fatali necessitate triplicis effluuij, & fortuitis accidentibus, cuiusmodi sunt in hominibus palustrium locorum lienis scirrhi, hydropes à dysenteria, diarrhœa, quartana: iuniorum peripneumoniæ & maniæ: seniorum febres ardentes hyemales: mulierum œdemata, leucophlegma-

tiæ, partus difficiles, purgationes lochiorum malæ; puerorum herniæ, virorum varices & vlcera. Nam ex enterocele retentis interdum eo loci excrementis & fæcibus fit tumor immedicabilis. Varix autem si curetur, vt inquit Galenus *cap.* 8. *lib. de sect. ven. cont. Erasistr.* periculum affert hydropis, nephritidis, apoplexiæ, pleuritidis, sputi, vomitusque sanguinei. Si non curetur, fiet aliquando tantus humoris affluxus, vt quia pars huic excipiendo non est capax, fiat ad interiora palindrome.

TEXT. IX. *ἦν δὲ αἱ γυναῖκες.*] Signa veri conceptus in ea quæ sterilis erat, sunt ex Hippocr. *in lib. de nat. muliebri*, primum, si pauci fiunt menses, nec ij solito purgationis tempore, mox repente multi, puri & fortes, atque id semel. In fœcundis autem, si macies totius corporis, color cum virore pallidus, respiratio crebrior, oris ventriculi dolor, vt inquit Hippocrates *lib. de mulier. morb.* si cauus oculus atque distractus, si eius album liuidius redditum sit, vt inquit Hippocr. *in lib. de steril. & lib. de superfœt.* si os vteri citra duritiem clausum. *Aph.* 51. *lib.* 5. si menses non prodeunt, estque cibi fastidium sine horrore & febre superueniente, si mulier in coitu sensit vteri sui motum, inquit Gal. *cap.* 3. *lib.* 3. *nat. facult. & cap.* 2. *lib.* 1 *de semine.* Et si tu arte cognoscere vis grauiditatem mulieris, mulsam dormituræ propina: & si tormina sentit, grauida est, *ex aph.* 41. *lib.* 5. aut terra erythrea oculos subline: & si pharmacum intro in cute recipitur, prægnans est, ait Hippocr. *in lib. de nat. mulieb.* Hæ igitur mulieres propter tumorem ab vteri hydrope, & propter varium aquæ in vtero motum pueruli gesticulationis similem, vt inquit Hippocrates *lib.* 1. *de mulierum morbis*, putant se grauidas.

ὑπὸ ὕδρω.] Propter aquarum deprauatarum potum palustris loci mulieres hydrope vterino corripiuntur, qui secundum Hippocratis disciplinam in nouem species distribui potest, quarum duæ sunt à flatu, septem ab aqua. Hippocrates igitur *lib* 1. *de mulier. morbis* meminit hydropis ex mensium suppressione, in quo fastidium cibi, lumborum grauitas, ventris prominentia falsum dant grauiditatis argumentum: sed post tres menses erumpunt menstrua grumosa, carni corruptæ similia. Eodem libro est secundus vteri hydrops, in quo pauci menses & praui, ventris tumor grauiditati similis. Sed mammarum mollitie, lactis deprauatione, febre, rigore, oris vteri gracilitate & humiditate, iste tumor à vera grauiditate distinguitur. Tertius est, ex paucioribus, deterioribus, & per longius tempus fluentibus menstruis: post quæ menstrua concipiunt, sed statim vnà cum fœtu corrupto aqua educitur. Quartus est, cum retentis mensibus mammæ attolluntur, clauiculæ & thorax attenuantur, pedes & venter tument, & aqua fœtus instar mouetur in vtero. Ex lib. 2. de mulierũ morbis, educitur quintus hydrops, in quo menses prodeunt arenosi, cum vteri & venarum proximarum tumore, & ventris inferioris multa duritie. Item sextus, in quo quod effluit cruentum est, & saniosum, & mordicans. Rursum & septimus, in quo vteri flatuosi cum stridore & tumore, sed cum magno dolore &

febre. Ex libro de nat. mulieb. octauus hydrops vteri educitur, in quo fluunt menses deteriores, qui statim deficiunt cum tumore ventris, & siccitate mammarum, ore vteri gracili, calido, & aquoso. Superest ex eodem libro nonus ab vteri inflammatione, vnde vomitus, venter inflatus, cuius tumor crescit ad mensem vsque decimum; tum post decem menses venter aqua impletur, vnde ascites. Huic loco magis conuenit ea species hydropis, in qua mouetur aqua non secus quam fœtus.

σκληρὰ δὲ.] Oribasius *lib. 5. collectaneorum* alui duritiem, pectoris debilitatem, herniam, hydropem, brōchocelen morbos facit ab aquis duris. Tales autem eas esse quæ ex petrosis locis manant, patet ex Galeno *ad part. 10 sect. 4. lib. 6. epid.* Inquit enim aquas Tyburtinas, quæ tubulis lapideis Romam deferuntur, esse crudas propter aquæ ductum: multò ergo magis propter originem tales erunt. Improbantur quoque fistulæ plumbeæ propter cerussam, quæ dysentericas facit affectiones & homines reddit decolores. Soli testacei canales laudabiliores habentur. Sed Auicennas contra sententiam Hippocratis *lib. 1. fen. 2. doctr. 2. cap. 16.* videtur loqui, cum laudat petrosas aquas, quod terrena putredine non afficiantur, Sed hic loquitur Auicennas ex comparatione aquarum terræ impuræ, & terræ petrosæ. TEXT. X.

ἢ ἔνθα ἐκεῖ.] Aliud argumentum deducit Hippocrates calidarum aquarum ex conditione terræ. Conditionem autem calidam esse probat à quatuor metallorum natura, & totidem rerum metallicarum vi. De rebus metallicis hic enumeratis quod calidæ sint, probatu facile est. Cum enim ex Galeno *cap. 1. lib. 3. temper.* ea omnia potestate calida dicantur, quæ vel facile ignem concipiunt, vel facile nos calefaciunt: Sulphur, quod ex Galeno *lib. 9. simpl.* fit à terra pingui impense calida & sicca, igneum est. Alumen (quod à virtute astringendi στυπτηρία dicitur;) Bitumen, quod teste Galeno *lib. 11. simpl.* resiccat, & ordine secundo calefacit; Nitrum, quod vstione tenuius redditum desiccat, digerit & attenuat: Hæc inquam omnia calida erunt. Sed de quatuor metallis quæstio est. Vitruuius enim *cap. 3. lib. 8. Architectura* aquas metallicas calidis opponit, & aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum res durissimas & frigidissimas appellat, & morborum frigidorum effectrices. Atque id verum est ad tactum, & ad compactionem, quam vel frigus effecit, vel iuuit. Sed si consideremus generationem metallorum, atque principia, calida apparebunt. Primum enim in calidissimis locis, vt in Hispania, & India hæc plurima habentur. Principia autem horum metallorum duorum sunt generum. Nam si credimus Alberto Magno, cum omnium compositorum tria principia sint, sal, sulphur, & hydrargyros; metalla duobus istis postremis præcipuè constant. Est autem hydrargyros impensæ caliditatis, si consideremus in eo spiritum sulphureum, cuius vi promptissimè penetrat. Sed Aristoteles *cap. vlt. lib. 3. meteor.* inquit omnia fossilia ab exhalatione calida & sicca originem trahere: omnia verò metalla ab exhalatione calida TEXT. XI.

humida, quæ in terræ visceribus compingitur & induratur. Igitur cum hæc omnia à principiis profluant calidis, aquas his in locis calidas esse necesse est.

ὁ πόνων ἐκ.] Hæ omnes aquæ propterea quod habent virtutem astringentem, idcirco & vrinas & excrementa coërcent, & bilescunt: tamen ratione medicamenti prodesse possunt, quemadmodum ratione alimēti nocere. Sulphureæ enim humores adurunt, febres cholericas accendunt, inquit Auicennas *tract.5. lib. de remouendis à sanitate nocumentis.* Sed conferunt apostematibus iuncturarum, verrucis pendentibus, & vuluæ doloribus, inquit idem Auicen.*cap. 59. l. 2. tract. 2.* Aluminosæ pectus & vocem exasperant, sed vomitui, abortui, & sanguinis sputo prosunt. Bituminosæ supra modum salsæ sunt, sed glutinandis vlceribus idoneę sunt, inquit Galenus 11.*simpl.* Nitrosæ idem præstant. Aquæ aureæ vi astringente cor vitalemque facultatem corroborant. Argenteæ palpitationi cordis conferunt. Ferreæ stomachum roborant. Æreæ colicam passionem curant, & renes expurgant.

TEXT. XII. ἐν τὸν οἶνον φέρειν.] Hippocrates inter signa melioris aquæ ponit eius à vino contemperationem. Quod enim promptè ab alio corpore afficitur, illud rarum est, & tenuium partium: vt hîc vinum per tenuitatem & mollitudinem aquæ bonę promptè subit, & ipsi suam qualitatem imprimit. Cuius rei faciliorem interpretationem dat Galenus *cap.9.lib. 1. de elementis*, dum elementorum in compositis mixtionem cum aquæ & vini perfusione comparat. Inquit igitur ista duo corpora vinum & aquam se in minima confringere, vnde mutua ipsorum, actio, & passio, & qualitatum participatio: quæ tantò facilior est, atque promptior, quantò celerius se ad minimas particulas infringunt. Vt igitur vinum appellamus ὀλιγοφόρον, quod ad minimum aquæ debilitatur: sic hîc Hippocrates dicit aquam paucum vinum ferre, quæ ad minimam eius affusionem vini gustum habet.

τὸ δὲ χειμῶνος.] Huius rei demonstrationem adfert Hippocrates *in lib. de nat. pueri.* Inquit enim, *omnia quæ à seipsis comprimuntur, calidiora sunt, quàm si rarè posita fuerint.* Quam propositionem illustrat triplici similitudine, fimi condensati, hordei madefacti, & vestium pellicearum compactarum, quæ se inuicem adurunt. Terra autem propter hyemales pluuias ab humore grauiore cōprimitur, hordei instar, quod madefactum calidius est: vnde nullam perspirationem habens, spiritus intus continet, qui aquas augent, & calidas efficiunt. Contrà æstate vi solaris caloris terra rarefacta omnes spiritus exhalant, vnde frigiditas ipsius profunditati innascitur, & aqua pro capacitate terræ rarioris paucior, facilè refrigeratur. Quod Hippocrates illustrat similitudine vtris semipleni, quem si perfores, & soli exponas, per euaporationem spirituum aqua refrigerabitur. Cui postremæ similitudini lucem affert *part. 10. sect.4. lib. 6.epidemiωn.* Vbi Hippocrates ait aquam decoctam refrigerandam, sic operiendam esse, vt vas plenum non sit. Et

Gale-

Galenus *in commentario* inquit ſemiplena promptius alterari, plena verò diutius in natura ſua conſeruari.

TEXT. XIII. ὀζώδεα καὶ κοῦφα.] Quemadmodum Hippocrates bonas aquas inquit eſſe dulces, non quod guſtu tales ſint, ſed poteſtate tantum; & per priuationem ſalſedinis: ſic & hoc loco dicuntur eſſe odoratæ aquæ, non quod habeant fragrantiam (ſic enim ſicciores eſſent, & minimè bonæ) ſed quod ſint citra vehementem aliquam qualitatem, quæ ſenſum feriat. Leues quoque dicuntur, partim quod propter tenuitatem partium promptè calorem frigusque ſuſcipiant, partim etiam quod epotæ nullum faciant in hypochondriis pondus, ſed diſtributione facili per omnes corporis partes ferantur.

TEXT. XIV. εἰσὶ δὲ ἔνιαι φύσιες.] Galenus *cap. 11. lib. de euchy. & cacochy.* inquit de alimentis neminem poſſe ſtatuere, niſi qui diſtinxerit corporis habitudinem raram & denſam. Nam rarioris corporis homines ſicciore, viſcoſiore, & copioſiore egent alimento: denſioris autem humidiore, tenuiore, & pauciore. Itaque aqua ſiccior & durior raro corpori, humidior & tenuior denſo conuenit.

TEXT. XV. Ὁκόσων μὲν αἱ πηγαὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἔχουσιν, ταῦτα μὲν ἄριστα αὐτὰ ἑωυτέων ἐστίν. TEXT. XVI. δεύτερα δὲ τῶν τὰ μεταξὺ τῶν θερινῶν ἀνατολέων ἐστὶ τοῦ ἡλίου καὶ χειμερινῶν. καὶ μᾶλλον τὰ TEXT. XVII. πρὸς τὰς ἀνατολάς. τρίτα δὲ τὰ μεταξὺ τῶν δυσμέων τῶν θερινῶν, καὶ τῶν χειμερινῶν. TEXT. XVIII. φαυλότατα δὲ τὰ πρὸς τὸν νότον, καὶ τὰ μεταξὺ θερινῆς ἀνατολῆς καὶ δύσιος· καὶ ταῦτα τοῖσι μὲν νοτίοισι TEXT. XIX. πάνυ πονηρά. τοῖσι δὲ βορέοισιν ἀμείνω. τουτέοισι δὲ πρέπει ὧδε χρέεσθαι. ὅς τις μὲν ὑγιαίνει τε καὶ ἔῤῥωται, μηδὲν διακρίνειν· ἀλλὰ πίνειν αἰεὶ τὸ παρεόν. ὅς τις δὲ νούσου ἕνεκα βούλεται

Quæ quidem aquæ fontes ſuos ad orientes habent, hæ præ omnibus optimæ ſunt. Secundum ab his locum habent, quæ inter æſtiuos ſolis exortus ac hybernos emergunt; & magis hæ quæ ad orientes. Tertio loco ſunt, quæ inter occaſus æſtiuos ac hybernos ſcaturiunt. Peſſimæ verò quæ ad auſtrum, & quæ inter æſtiuum ortum & occaſum. Et hæ quidem ad auſtrales partes valde prauæ ſunt, ad boreales verò meliores. His autem hoc modo vti conuenit. Quiſquis ſanus eſt ac valet; is nullum diſcrimen faciat, ſed ſemper eam quæ præſens eſt, bibat. Quicunq; verò morbi gratia, eam quæ

commodiſſima eſt bibere volet, is ſi ita fecerit, maximè ſanitatem aſſequi poterit. Quorum quidem ventres duri ſunt & idonei ad hoc vt amburantur, his dulciſſimæ, & leuiſſimæ ac ſplendidiſſimæ conducunt. Quorum vero molles ventres, & humidi ac pituitoſi ſunt, his duriſſimæ & crudiſſimæ ac ſubſalſæ aquæ conferunt. Sic enim maximè reſiccari poterunt. Quæcunque enim aquæ optimæ coctu ſunt, ac facillimè liquidæ ſunt, eas par eſt & ventrem maximè exoluere ac eliquare. Quæ verò crudæ ſunt, & minimè coctu bonæ, hæ magis conſtringunt ventres ac reſiccant. At enim mentiuntur homines de ſalſis aquis, propter imperitiam, in eo quod per aluum ſecedere, eamque ſoluere putentur. Maximè enim contrariæ ſunt ad alui egeſtionem & ſeceſſum. Sunt enim crudæ, & coqui non poſſunt. Quare venter magis ab ipſis aſtringitur, quam eliquatur. Et de fontanis quidem aquis hoc modo res ſe habet. De pluuialibus autem, & quæ à niue fiunt, vt habeat, deinceps dicam. Aquæ igitur

ὃ ἐπιτηδειότατον πίνειν, ὧδε ἂν ποιέων μάλιστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης. ὁκόσων μὲν αἱ κοιλίαι σκληραί εἰσι, καὶ ξυγκαίειν ἀγαθαί εἰσι, τουτέοισι μὲν τὰ γλυκύτατα ξυμφέρει, καὶ κουφότατα καὶ λαμπρότατα. ὁκόσων δὲ μαλθακαὶ αἱ νηδύες, καὶ ὑγραί εἰσι, καὶ φλεγματώδεες, τουτέοισι δὲ τὰ σκληρότατα καὶ ἀτεραμνότατα, καὶ τὰ ὑφαλικά, οὕτω γὰρ ἂν ξηραίνοιτο μάλιστα. ὁκόσα γὰρ ὕδατα ἐστὶν ἕψειν ἄριστα, καὶ τακερώτατα, ταῦτα καὶ τὴν κοιλίην διαλύειν εἰκὸς μάλιστα καὶ διατήκειν. ὁκόσα δὲ ἐστὶν ἀτέ- TEXT. XX. ραμνα, καὶ σκληρὰ καὶ ἥκιστα ἕψειν ἀγαθά, ταῦτα δὲ ξυνίστησι μᾶλλον τὰς κοιλίας καὶ ξηραίνει. ἀλλὰ γὰρ ψευσάμενοί εἰσιν οἱ ἄνθρωποι τῶν ἁλμυρῶν ὑδάτων πέρι δι' ἀπειρίην, καὶ ὅτι νομίζεται διαχωρητικά. τὰ δὲ ἐναντιώτατά ἐστι πρὸς τὴν διαχώρησιν, ἀτέραμνα γὰρ καὶ ἀνέ- TEXT. XXI. ψανα, ὥστε καὶ τὴν κοιλίην ὑπ' αὐτῶν στύφεσθαι μᾶλλον ἢ τήκεσθαι. καὶ περὶ μὲν τῶν πηγαίων ὑδάτων ὧδε ἔχει. περὶ δὲ τῶν ὀμβρείων, καὶ ὁκόσα ἀπὸ χιόνος TEXT. XXII. φράσω ὅκως ἔχει. τὰ μὲν οὖν

TEXT. XXIII. ὄμβρια κουφότατα καὶ γλυκύτατά ἐστιν, καὶ λεπτότατα, καὶ λαμπρότατα. τήν τε γὰρ ἀρχὴν ὁ ἥλιος ἀνάγει καὶ ἀναρπάζει τοῦ ὕδατος τό τε λεπτότατον καὶ κουφότατον. δῆλον δὲ αἱ ἅλες ποιέουσιν. τὸ μὲν γὰρ ἁλμυρὸν λείπεται αὐτέου ὑπὸ παχέος καὶ βαρέος, καὶ γίνεται ἅλες. τὸ δὲ λεπτότατον ὁ ἥλιος ἀναρπάζει ὑπὸ κουφότητος· TEXT. XXIV. ἀνάγει δὲ τὸ τοιοῦτο οὐκ ἀπὸ τῶν ὑδάτων μόνον τῶν λιμναίων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς θαλάσσης· καὶ ἐξ ἁπάντων ἐν ὁκόσοισιν ὑγρόν τί ἐστιν. ἔνεστι δὲ ἐν παντὶ χρήματι· καὶ ἐξ αὐτέων τῶν ἀνθρώπων ἄγει τὸ λεπτότατον τῆς ἰκμάδος καὶ κουφότατον. τεκμήριον δὲ μέγιστον ὅταν ἄνθρωπος ἐν ἡλίῳ βαδίζῃ, ἢ καθίζῃ ἱμάτιον ἔχων. ὁκόσα μὲν τοῦ χρωτὸς ὁ ἥλιος ἐφορᾷ, οὐχ ἱδρώη ἄν. ὁ γὰρ ἥλιος ἀναρπάζει τὸ προφαινόμενον τοῦ ἱδρῶτος. ὁκόσα δὲ ὑπὸ τοῦ ἱματίου ἐσκέπασται, ἢ ὑπ᾽ ἄλλου του, ἱδροῖ. ἐξάγεται μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ ἡλίου καὶ βιάζεται. σώζεται δὲ ὑπὸ τῆς σκέπης, ὥστε μὴ ἀφανίζεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. ὁκόταν δὲ εἰς σκιὴν ἀφίκηται, ἅπαν τὸ σῶμα ὁμοίως διεῖ. οὐ γὰρ ἔτι ὁ ἥλιος ἐπι-

pluuiales leuissimæ & splendidissimæ sunt. Primum enim sol quod tenuissimum & leuissimũ est in aqua educit, ac sursum rapit. Clarum autem hoc ipsum mare facit. Quod enim salsum est, isthic relinquitur præ crassitudine ac grauitate, & fit mare. Quod verò tenuissimum est sol sursum rapit præ leuitate. Rapit autem tale non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex ipso mari, & ex omnibus, in quibus aliquid humoris inest. (Inest autem in omnibus rebus.) Et ex ipsis hominibus tenuissimum ac leuissimum humorem ducit. Eius rei maximum signum inde sumere licet, vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerit, aut sederit. Quascunque enim corporis partes sol aspicit, hæ non exudant (Sol enim quicquid comparet sudoris sursum rapit.) Quæ verò sub veste contectæ sunt, aut sub aliqua alia re, hæ exudant. Educitur enim ac domatur à sole sudor. Seruatur autem à tegumentis, vt ne disperdatur à sole. Quum verò in vmbram deuenerit, totum corpus similiter sudore perfluit. Non enim amplius sol

affulget. Quapropter etiam ex omnibus aquis hæ citiſſimè putreſcunt; & odorem malum pluuialis aqua habet, eo quod ex plurimis congregata eſt ac permixta, vt citiſſimè putreſcat. Ad hæc vero, vbi rapta eſt, & in ſublime eleuata, dum circumfertur, & ad aërem permiſcetur, quod turbidum eſt in ipſa, ac noctem refert, id excernitur ac decedit, & fit aër, & nebula. Quod verò tenuiſſimum & leuiſſimum in ipſa, hoc relinquitur ac dulceſcit, dum à ſole vritur ac coquitur. Fiunt autem & alia omnia quæ coquuntur ſemper dulcia. Quãdiu igitur diſperſa fuerit, & nondum congregata, fertur ſublimis. Vbi verò coaceruata fuerit, ac ſimul congregata derepente à ventis inter ſe aduerſariis: tunc deorſum prorumpit, qua parte plurima collecta fuerit. Tunc enim hoc magis fieri veriſimile eſt, quũ nebulas à vento ſtabilitatem non habente concitatas, ac procedentes derepente ventus contrarius ac aliæ nebulæ reliſerint: atque tunc quidem prima ipſius pars congregatur: quæ verò à poſteriore parte ſunt,

λάμπει. διὰ ταῦτα δὲ καὶ σήπεται τῶν ὑδάτων τάχιστα ταῦτα, καὶ ὀδμὴν ἔχει πονηρὴν τὸ ὄμβριον. ὅτι ἀπὸ πλείστων ξυνῆκται καὶ συμμέμικται, ὥστε σήπεσθαι τάχιστα. Text. XXVI. ἔτι δὲ πρὸς τουτέοισιν ἐπειδὰν ἁρπασθῇ καὶ μετεωρισθῇ περιφερόμενον καὶ καταμεμιγμένον ἐς τὸν ἠέρα, τὸ μὲν θολερὸν αὐτέου καὶ νυκτοειδὲς, ἐκκρίνεται καὶ ἐξίσταται, καὶ γίγνεται ἠὴρ καὶ ὀμίχλη. τὸ δὲ λεπτότατον καὶ κουφότατον αὐτέου, λείπεται καὶ γλυκαίνεται, ὑπὸ τοῦ ἡλίου καιόμενόν τε καὶ ἑψόμενον. γίγνεται δὲ καὶ τ' ἄλλα πάντα τὰ ἑψόμενα αἰεὶ γλυκέα. Text. XXVII. ἕως μὲν οὖν διεσκεδασμένον ᾖ, καὶ μήπω ξυνεστήκει, φέρεται μετέωρον. ὁκόταν δέ κου ἀθροισθῇ, καὶ ξυστραφῇ ἐς τὸ αὐτὸ ὑπὸ ἀνέμων ἀλλήλοισιν ἐναντιωθέντων ἐξαίφνης, τότε καταῤῥήγνυται, ᾗ ἂν τύχῃ πλεῖστον ξυστραφέν. Text. XXVIII. τότε γὰρ ἐοικὸς τοῦτο μᾶλλον γίνεσθαι, ὁκόταν τὰ νέφεα μὴ ὑπὸ ἀνέμου στάσιν ἔχοντος, ὡρμημένα ἐόντα, καὶ χωρέοντα, ἐξαίφνης ἀντικόψῃ πνεῦμα ἐναντίον, καὶ ἕτερα νέφεα. ἐνταῦθα μὲν πρῶτον αὐτέου ξυστρέφεται. τὰ δὲ ὄπισθεν ἐπιφέρεταί τε, καὶ οὕτω παχύνεται καὶ μελαίνεται.

TEXT. XXIX. καὶ ξυστρέφεται ἐς τὸ αὐτὸ, καὶ ὑπὸ βάρεος καταῤῥήγνυται, καὶ ὄμβροι γίνονται. Ταῦτα μὲν ἐστιν ἄριστα κατὰ τὸ εἰκός. δεῖται δὲ ἀφέψεσθαι καὶ ἀποσήπεσθαι. εἰ δὲ μὴ, ὀδμὴν ἴσχει πονηρὴν, καὶ βράγχος καὶ βαρυφωνίην τοῖς πίνουσι προσίσταται.

insuper accedunt, & sic crassescunt & nigrescunt, ac simul congregantur, & præ grauitate deorsum prorumpunt, & pluuiæ fiunt. Atque hæ quidem aquæ optimæ sunt secundum hanc rationem. Verùm opus habent, vt decoquantur ac excolentur. Sin minus, odorem prauum habent, & raucedinem, & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par est.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

TEXT. XV. Πρὸς τὰς ἀνατολάς.] Hìc primum statuendum est, qui fontes dicantur esse ad orientem. In omni enim fonte tria consideramus, locum originis, locum scaturiginis, & riuum. Locus originis cùm sit subterraneus; locus scaturiginis, cùm sit angusti spatij nihil facit ad situm: sed riuus tantum, quo longius aqua spatiatur. Est igitur fons orientalis, cuius riuus versus orientem fluit. Et sic explicuit Hippocrates *text.*13. Auicennas quoque *lib.*1.*fen.* 2.*doct.*2.*cap.*16. aquas appellauit orientales, quæ ita decurrunt, vt illuminationi, calori, & coctioni solis opponantur. Galenus *cap.*11.*lib.*1.*tuend. sanit.* videtur appellare aquas septentrionales eas, quæ quia ad septentrionem fluunt, solem auersum habent.

ἄριστα αὐτὰ ἑωυτῶν.] Galenus *cap.*11.*lib.*1.*tuend sanit.* aquam laudat, cuius fons ad orientem erumpit per meatum mundum, & puram terram: hancque aquam ait esse omni ætati vtilissimam. Nam aquę & eduliorum cęterorum non est par ratio. Edulia alia atque alia huic aut illi ætati conueniunt: sed aqua orientalis puero, adolescenti, iuueni, & seni, omni denique ventriculo est idonea, quoniam (vt scribit Oribas. *lib.*5.*collect.*) est mollis, tenuis, odorata, sincera, in calore & frigore moderata.

TEXT. XVI. Cum Hippocrates *text.* 17. loquatur de aquis, quæ sunt inter occasum æstiuum & hybernum, hic par est ex antithesi fieri mentionem aquarum, quæ sunt inter ortum æstiuum & hyemalem: quæ periphrasis pertinet ad ortum æquinoctialem, siue vernum. Nam si retineamus antiquam lectionem de aquis inter ortum & occasum æstiuos, erit periphrasis septentrionis: sicque sibi non constaret Hippocrates, qui hic eas aquas secundo loco bonas appellaret, quas *text.* 18. pessimas appellat.

TEXT. XVII. τρίτα δὲ τὰ.] Hic est difficultas, cum Hippocrates suprà situm occidentalem dixerit esse morbosissimum, quomodo nunc aquas ad occidentem fluentes dicat tertio loco bonas. Respondendum, non eandem esse aëris, ventorum & aquarum rationem. Nam Hippocrates supra dixit ventos occidentales esse autumno simillimos: sed de aquis loquens occidentalibus, non pessimam fecit earum conditionem. Nam aquas meridiei dixit esse salsas, duras, & crudas. Aquas septentrionis dixit esse frigidas & duras. Aquarum occidentis qualitates primas non reprehendit, sed hoc vnum, quod non essent claræ: Aqua autem turbata, colatura redditur clara. Vnde Cardanus *in hunc locum*, inquit promptius affici qualitatibus manifestis, id est, calore & frigore: ideo aqua meridionalis propter calorem mala; & septentrionalis propter frigus: sed eadem aqua rarius afficitur à qualitatibus occultis, cuiusmodi est inæqualitas caloris & frigoris in occidente.

XVIII. φαυλότατα δὲ τὰ πρὸς.] Hippocrates facit duo genera pessimarum aquarum, quarum aliæ sunt australes, aliæ septentrionales. Australes omnium sunt pessimæ, quia salsæ, crudæ & duræ. Septentrionales sunt secundo loco pessimæ, quia duræ & frigidæ. Inquit enim Galenus *cap*. 11. *lib*. 1. *tuendæ sanit.* aquas septentrionales, quod solem auersum habeant, esse concoctu difficiles, & tardi transitus per hypochondria. Præstant tamen australibus, quia tandem solis calore aut artificiosa coctione dulcescunt.

XIX. Hippocrates aquis expositis nunc ad earum vsum descendit. Et primum considerat quomodo sani se debeant habere ad aquas, quibus omnem permittit; tum quomodo ægri. Ægros autem considerat duobus modis, quatenus habent aluum duram, aut quatenus liquidam. Primis leuissimas aquas impertit. Secundis duras & salsas.

ὅστις μὲν ὑγιαίνει τε ἔρρωται.] Non vult Hippocrates, vt aquam quantumuis prauam homo sanus bibat: sed quia consuluit *aph*. 50. *lib*. 2. ad insueta aliquando & sensim esse transeundum; idcirco non vult hic sanos homines ea religione teneri, vt vnius aquæ potui se astringant. Galenus enim *comm. in hunc aph.* ait consuetudinem μονοειδῆ, id est, quæ vna & certa lege constet, esse parum tutam, ne si ex improuiso insolitis vti cogamur, grauius offendamur. Cornelius Celsus *cap*. 1. *lib*. 1. in eundem sensum ait sanum hominem nullis legibus obligari debere, atque id præsertim in aquæ potu. Cum enim aqua ex Auicenna *tract*. 5. *lib. de remouendis à sanitate nocumentis*, tribus modis tantum lædat, calorem natiuum debilitando, facultatem serosorum excrementorum secretricem imminuendo, & retentricem resoluendo: id aqua non potest nisi in corporibus iam infirmis, vt nec vlla causa procatarctica, vt inquit Galenus *cap*. 1. *lib. de causis procatarct.* Quin si teste Galeno *ad part*. 1. *sect*. 3. *lib*. 1. *epid.* praua oblata ægrum non offendunt si mediocris est morbus, multo minus sanum.

ὁκόσοι μὲν αἱ.] Ex Galeno *ad aph*. 20. *lib*. 2. quatuor sunt omnino causæ alui duræ, paucitas assumpti alimenti, paucitas bilis ad aluum con-

fluentis, ſuctus hepatis vehemens, potentia retentricis facultatis. Calidius hepar validius ſugit, ſiccior aluus potentius retinet. Quibus igitur propter hepar calidius, aut aluum ſicciorem deiectio eſt dura, præcipuéque ſi ſint iuuenes, his aqua frigida conducit, quoniam inteſtinorum corpus humectat, & hepatis calorem contemperat. Vnde dixit Galenus *cap.7.lib.1. de element.* tum elementum pro medicamento eſſe vſurpandum, cum ſumma qualitas in corpore neceſſaria eſt, vt aluo paratæ ad incendium nihil tam eſt accommodatum ad refrenationem quàm aqua. Et dixit Hippocrates aluo paratæ ad incendium, non autem æſtuoſæ, aquam conuenire, quia (vt notat Galenus *cap.5.lib.10. meth.*) corporibus ad ſummam ſiccitatem perductis, frigida non conuenit, ne (vt ait idem *part.32. ſect.3. lib. de his quæ in medicatrina fiunt*) reuocatione caloris ad interiora, incendium augeatur. Quæri igitur hoc loco poteſt, an bilioſis febribus aqua frigida conueniat. Sed reſpondendum ex Gal. *cap.5.lib.10.meth.* in principio harum febrium conuenire, ſi (vt ait idem *lib. 9.meth. cap.5.*) febris non ſit ab obſtructione, aut à cruda putredine, aut à ſcirrhoſo, œdematoſo, aut phlegmonoſo tumore: nam in vero eryſipelate licet.

μαλθακοί.] Duæ ſunt omnino cauſæ alui liquidæ, aſſumptio copioſioris alimenti, quàm hepati ſit opus; aut citior deiectio, quàm vt hepar poſſit attrahere. Prioris cauſa eſt os ventriculi ſuperius frigidiore præditum temperamento, aut frigiditas hepatis ad attrahendum impotens. Poſterioris tres omnino ſunt cauſæ, bilis deorſum fluens, quæ expulſionem irritat; fortis expulſio ab inſtrumentorũ ſiccitate, debilis retentio ab humiditate. Hi igitur, qui ob frigidius os ventriculi plus appetunt, aut qui ob frigidius hepar parcius alimentum diſtribuunt, aut ob humiditatem debilius retinent, aqua ſalſa vtantur, quia calefacit & exſiccat. Qui verò ob multam bilem aluo ſunt liquida, hi crudam & frigidam aſſumant.

ταῦτα δὲ ξυνίησι.] Dicit Hippocrates aquis bonis facile ſubduci aluum, propterea quod retundunt calidiorem temperaturam, vnde minor fit ſuctus, & inteſtinorum corpus humectant, vnde facilior ſeceſſio per inferiora. Atque id probare poſſumus hiſtoria Galeni, quæ eſt *cap.5.lib. 10.meth.* Ait enim adoleſcentem febre tertiana correptum epota frigida primum bilem meracã vomuiſſe, mox aluo copioſè deieciſſe. Sed citari poteſt Galeni auctoritas *ad aph. 13. lib. 4.* Vbi ait, aquam neque epotam, neque admotam ſolidas corporis partes natura ſua humectare poſſe. Sed hic Galenus loquitur de ea humectatione, quæ fit per alimentum aſſimilatum; talis autem aqua (vt aqua eſt) eſſe non poteſt, quoniam nullum elementum nutrit.

ἀλλὰ γὰρ ψυχόμενοι.] Quod hic ſcribit Hippocrates aquam ſalſam eſſe aſtringentem, confirmari poteſt authoritate Galeni, *cap.41. lib. de alimentis*, cum ait ſalis duplicem eſſe naturam; vnam quidem humores ſuperfluos (id eſt, pituitoſos) digerere, alteram corpora ipſa cogere in ſeſe ac condenſare. Idem *cap.20.lib.4.ſimplic.* ait in omni ſale vim eſ- XX.

ſe obſcuram aſtringendi, præſertimque in foſſili, qui (vt inquit idem *cap.21.lib.4.ſimpl.*) quia minus calidus eſt, ſed durior, denſior, & terrenus magis, idcirco vehementius aſtringit. Sed authoritates in contrarium afferri poſſunt. Primum enim Dioſc. *cap.15.lib.1.* ait aqua marina aluum turbari: Auicennas *lib.1.tract.2.cap.59.* ſcribit aquam marinam clyſteribus adhibitam aluum ſoluere. Aëtius *tetrab. 3. ſerm.1. cap.45.* ſcribit dyſentericorum aluos aqua puteali ſubſalſa turbari. Sed ipſemet Hippocrates *lib. 2. de diæt.* ſcribit ſalſamenta ſiccare & attenuare, pleraque etiam aluum leniter ſubducere. Paulo poſt ait ſalſa minus alere, quia per calorem humiditate priuata ſunt. Præterea etiam attenuare, exſiccare, & ſufficienter aluum mouere. Et rationes pro confirmatione authoritatum dari poſſunt: quod quæcunque mordicant, facultatem inteſtinorum expultricem irritant. Soluenda autem diſputatio eſt eiuſdem Galeni authoritate *lib. 9. ſimpl.* Vbi inquit ſalis mediam eſſe naturam inter abſterſionem & aſtrictionem: adeo vt ſal dicatur abſtergere excrementa pituitoſa quæ adſunt, aſtringere autem corpus ipſum ventris in poſterum, quoniam ipſum ab omni humiditate exſiccat atque calefacit: & vt dicimus rheum aſtringendo vacuare, ſic etiam & ſalem.

XXI. περὶ δὲ τῶν ὀμβρίων.] Hippocrates aquæ pluuiæ quatuor virtutes attribuit; leuitatis, dulcedinis, tenuitatis & ſplendoris, ex quibus colligit eam eſſe optimam. Has virtutes ei ineſſe duplici confirmat argumento, quorum primum eſt à materia pluuiæ; alterum à generationis modo. Materiam ait eſſe omnem humorem tenuem cuiuſcunque corporis, & id probat duobus argumentis. Primum eſt à mari, cuius tenuem humiditatem ſol haurit: alterum ab homine, cui humiditatem futuram ſudoris materiam ſol eripit. Modus generationis eſt ſegregatio eius quod in tota materia tenue eſt, & craſſioris in nubem conuerſio.

τὰ μὲν οὖν ὄμβρια.] Auicennas *lib.1.fen.2.doct.2.cap.16.* ait aquas pluuias eſſe optimas, præcipuéque æſtiuas & cum tonitru, bonitatiſque cauſam eſſe ait ſubtilitatem. Aëtius *tetrabibl.ſerm.3.cap.165.* ait aquam pluuiam eſſe optimam potu ac leuiſſimã, ſi ſtatim excipiatur & coletur: inimicam tamen picrocholis, febrientibus & ictericis. Oribaſius *ſynopſeωn lib. 1. cap.14.* laudat æſtiuas & tonitruales, vituperat eas quæ iam mutari incipiunt. Cardanus interpres pluuias poſt brumam ait eſſe malas; quia ſunt niuales. Item quæ guttatim cadunt, quia non ſunt repurgatæ. Quæ ſub hyemis principium fiunt & vere, bonæ. Nocturnæ item diurnis meliores. Sed quæ ſub caniculam, malæ, quoniam exuſtæ. Quod poſtremum eſt ab Hippocrate alienum. Statuendum enim ex Hippocrate *part.17. ſect. 4. lib.6. epid.* quadruplicem eſſe aquam pluuiam, ætheream, tonitrualem, ὡραίαν, & procelloſam: ex quibus tres primæ ſpecies bonæ, ſola vltima mala. Eſt autem æetherea pluuia, quæ fit puro & ſereno cælo. Eſt tonitrualis, quæ fit Ioue fulminante, & ea bona, quoniam calore cocta eſt: fit enim fulmen, cum aut calor igneus in nubis ventre concluditur, aut cum nubes mutuo attritu

colli-

colliduntur, & motu colliſionis caleſiunt. Eſt ὡραῖα; quæ fit ea parte æſtatis, quæ appellatur ὥρα: & eſt caniculæ tempus, ſub quo maturantur fructus. Eſt procelloſa, quæ fit ex denſis nimbis. Et hæc nec elaborata coctione eſt, nec confecta, ideoque mala. Pluuias autem bonas neceſſarium eſt eſſe dulces, quoniam quicquid tenue eſt, dulce eſt, vt inquit Ariſtoteles: & quoniam omnis pluuia coctionis eſt argumentum, vt ait idem.

πλὴν τι τὴν ἀρχὴν ὁ ἥλιος.] Galenus *ad part.* 8. *ſect* 1. *lib.* 1. *epid.* ait materiam pluuiæ eſſe vaporem calidum, qui ſponte ſurſum feratur, & poſtea excipientis aëris frigore condenſetur. Ariſtoteles autem *cap* 9. *lib.* 1. *meteor.* ſcribit, quod terra immota conſiſtat, contingere vt à ſolis radiis circumfuſus humor, in vaporem mutatus eleuetur, qui poſtea in media regione aëris à ſuo calore derelictus ambientis frigere cogitur, fitque nubes, quæ poſtea vi ſolis in aquam reſoluatur. Cum igitur quod à ſole attrahitur, ſit vapor, tenue ſit oportet. XXII.

δῆλοι δὲ αἱ ἅλες.] Ariſtoteles *probl.* 35. *ſect* 23. ait mare ſimul eſſe ſalſum & amarum; quod in ipſo plures ſapores reperiri poſſint, atque hi ſint cognati. *Eiuſd. ſect. probl.* 30. ſcribit mare ſuperius eſſe ſalſius, quia ſol quod tenue ac dulce eſt, attrahit: inferius autem contendit eſſe dulcius. Sed *cap.* 2. *&* 3. *lib.* 2. *meteor.* ſalſedinis maris duplicem cauſam aſſignat à duplici genere exhalationis. Nam ab aqua exhalatio calida humida ſurſum eleuatur, à terreno corpore exhalatio calida & ſicca excitatur, quæ corpus ipſum maris percoquit: omne autem quod nimis coctum eſt, ſalſum redditur. XXIII.

ἔνεστι δὲ ἐν παντὶ χρήματι.] Aquam in omnibus rebus eſſe inde patet, quoniam ſine humido nihil conglutinatur, adeo vt Thales Mileſius crediderit omnium rerum principium eſſe aquam. Quod autem illa ſit in omnibus rebus quaſi materia, probat Scaliger *in Cardanum exercitatione* 39. ab etymologia dictionis: Nam ὕλη materiam ſignificat, eſtque (inquit ille) nomen Syriacum à Cadmo cum literis in Græciam allatum, & lingua Syriaca ſignificat aquam: quaſi Græci voluerint ſignificationis tranſlatione denotare aquam omnium rerum eſſe materiam. XXIV.

ὁκόσα μὲν τοῦ χρωτὸς ὁ ἥλιος.] Ariſt. *probl.* 36. *&* 37. *ſect.* 2. hanc quæſtionem mouet, cur partes ſoli expoſitæ non ſudent: cauſamque adfert, quod calore ſolis humor in ſpiritum mutetur, aut tam cito exſiccetur, vt ſudoris ſenſus nullus poſſit percipi. Et in eandem ferè ſententiam Hippocr. *lib.* 2. *de diat.* inquit ſolem & ignem cum calida ſint & ſicca, ex corpore humiditatem attrahere: eaque cauſa eſt, cur in ſole non ſudetur. Cæterum Hippocrates argumentum attractionis ſolaris ex homine ducit, vt ex comparatione concludat multo magis ſolem à cæteris rebus poſſe attrahere, ſi ab homine tam mobili aliquid educat.

ὑπὸ τῶν ἱματίων.] Ex Hippocrate *lib.* 2. *de diat.* calefacto ſanguine & attracto ea quæ ſunt in corpore celeriter mouentur, & quæ ſpiritus rationem habent, ſtatim purgantur & euaporant, vt fuligines. Quod autem compactum eſt, caleſcit & attenuatur, atque ex carne foras ex-

trusum sudor vocatur. Id facilius explicari potest auctoritate Galeni *cap.12.lib.1.sanit. tuend.* Inquit igitur à tertia coctione duplex esse excrementum. Alterum est instar semicoctarum reliquiarum alimenti. Alterum autem fuit totius alimenti vehiculum serosum. Hoc sub cute latitans interdum in speciem halitus dissoluitur, interdum violento motu erumpit, & tum est sudor, qui fit præcipuè in vmbra, corpore iam calefacto, quoniam (vt inquit Hippocrates *lib.2.de diæt.*) vmbra & frigus moderatè humectant, dantque magis, quàm accipiunt.

XXV. διὰ ταῦτα δὲ καὶ σήπεται τῶν ὑδάτων.] Aliud est Hippocratis argumentum bonitatis aquæ, quod citò & facile putrescat. Nam, vt inquit Paulus Ægineta *cap.50.lib.1.* facilitas alterationis virtuti magis adscribenda, quam vitio. Quam eandem sententiam sequitur Orib. *l.1. euporist.c.14.* Et confirmari potest authoritate Gal. *c.4.lib.2. de præsagit.ex pulſ.* Hic enim cum inquirit, cur qui rarius ægrotant, grauius ægrotant; contrà qui frequentius, leuius. Rationem reddit, quod vnumquodque, quo à leuiori causa excitatur vitium, eo leuius est. Est autem causa duplex, cur aqua pluuia cito putrescat leuiori de causa. Prima, quoniam est tenuiorum partium, ideoque facilis alterationis. Secunda, quod ex rebus heterogeneis constet. Omnis autem diuersarum substantiarũ congressus, aut fit ad generationem, si in eodem calore conueniant; aut ad corruptionem, si diuerso. Vnusquisque enim proprius calor suæ substantiæ, alteri erit externus, vnde corruptio. Sed contra sententiam Hippocratis duplex adfertur auctoritas. Vna Corn. Celſ. *cap.30.lib 2.* Altera Galeni, *cap.2.lib.6.de cōposit.medic secund.loc.* Inquit igitur Celsus aquas pluuias esse duras, ideoque tardè putrescere; qui textus debet intelligi de nimbosis tantum, de quibus superius actum est. Gal. autem inquit confectionem *diacodionis* idcirco in aqua pluuia fieri debere ne putrescat. Sed aqua pluuia sola, quia tenuis est, facile putret; at in compositione putredinem arcet, quoniam astringit.

XXVI. τὸ μὲν θολερὸν αὐτέῳ καί.] Galenus *ad part.4.comm.2.in lib. prorrhet.* vbi Hippocrates meminit πνεύματος θολεροῦ, negat in vllis Hippocratis libris legitimis aërem θολερὸν, vt vrinam θολερὴν dici posse, nisi fortè quis aërem vapore plenum intelligat. Tamen ex hac lectione lapsus memoria Galenus videtur.

καὶ γίγνεται ἠὴρ καὶ ὀμίχλη.] Galenus *ad part.19.sect.4.lib.6.epid.* distinguit aërem & æthera, eo quod cœlum serenum dicatur æther, nubilosum autem aër, vt hic videtur intelligere Hippocrates, quia loquitur de aëre à nubibus obscurato. Et Plutarchus *lib.de primo frigido*, aërem inquit à Græcis appellari κνέφας, quasi κενὸν φάεος, id est, expers luminis. Subiunxit autem Hippocrates ὀμίχλη. Notatu dignum est quod scribitur ab Aristot. *cap.9.lib.1.meteor.* distingui ἀτμίδα, id est, vaporem; νέφος, id est, nubem; & ὀμίχλην, id est, nebulam. Nam si ex aqua generandus est aër, medium huius generationis appellatur vapor: si ex aëre generanda est aqua, medium huius generationis appellatur nubes. Ideoque dixit Hippocrates *in lib.de nat.pueri*, nubem nihil aliud esse,

quàm aquam in aëre contentam. Nubis autem concretæ superfluitas atque recrementum, quod in aquam mutari non potuit, est nebula: ideoque dixit Arist. *in lib. de mundo*, nebulam esse corpus ineptum ad generationem aquæ.

τὸ δὲ λεπτότατον καὶ κουφότατον.] Videtur Aristoteles ab Hippocrate dissentire. Aristoteles *cap. 9. lib. 1. meteor.* ait exhalationem futuræ pluuiæ sursum eleuatam à suo calore relinqui, qui partim spargitur per vniuersam aëris capacitatem, partim extinguitur à frigore: vnde caloris defectu & loci refrigeratione fiat aqua. Contrà Hippocrates materiam pluuiæ nubem vult à sole coqui vt dulcescat. Sed verum quidē est condensationem nubis esse à frigore, quod tamen non impediat coctionem à radiis solaribus manantem, cùm sol nunquam otietur. Vnde & idem Arist. *eodem capite & lib.* inquit oriente sole exhalationes sursum ferri; occidente autem deorsum in pluuiam labi: vt inde facile sit colligere, toto diurno tempore materiam esse percoctam.

γίγνεται δὲ ἐ τ᾽ ἄλλα πάντα τε.] Galenus *cap 11. lib. 4. simplic.* ait dulcia fieri duobus modis. Quædam calore suo, vt mel. Quædam calore externo, vt quæ ad ignem coquuntur: & hæc, si nimiam coctionem adepta fuerint, amarescunt, vt inquit Galenus *part. 2. sect. 3. lib. de vict. acut.* Omne autem dulce à temperato calore fit, ideoque omne coctum dulce est, vt inquit Arist. *cap. 1. lib. 3. de animal. generatione.*

ἕως μὲν οὖν διεσκεδασμένον.] Quemadmodum in corporibus humanis ex XXVII.
compressione cerebri per frigus (vt est apud Aristotelem *cap. 7. lib. 2. de part. animal.*) fit humorum in partes subiectas expressio: sic vbi nubes congregata fuerit, ex condensatione comprimitur, & per compressionem humor exprimitur, quem subigebat plurimus calor contentus in nube, vt contendit Aristot. *cap. 11. lib. 1. meteor.*

ὑπὸ ἀνέμων ἀλλήλοισι.] Ex hac ventorum contrariorum pugna nubem comprimi, pluuiamque excitari, docuit Aristot. *probl. 5. sect. 26.* cum inquit, si mons opponatur ventis, tum nubem hic cogi, quoniam vlterius à ventis propelli non potest: & hac condensatione premi, rumpi, vnde pluuiæ demissio.

ὅτε γὰρ ἐοικὸς ἦν.] Ostendit hoc loco Hippocrates, & quonam pacto XXXVIII.
nubes per ventorum contrarietatem sibi inuicem succedant, & mutua collisione deorsum ferantur, vnde excitetur pluuia. Et quoniam Hippocrates hoc loco meminit *collisionis*, videtur tacitè attingere aquam, quam appellauit in epidemiis βροντιαῖον, id est, fulguralem. Nam, vt docet Arist. *cap. 9. lib. 2. meteor.* cùm exhalationis vtrumque genus concretione in nubem cogatur, & potestare remaneat, nubesque crebriores per cumulum aggregentur, tum fulmina propter collisionem erumpant oportet, deorsumque quamuis ignea ferantur, quia omnis elisio in contrariam rei densæ partem efficitur. Hæc ergo allisio nubium circunstantium facit tonitru: ex allisione spiritus deturbatus concepta flamma facit coruscationem; & hic spiritus si corpulentior fit, obuia conquassans, appellatur fulmen. Ergo propter plurimum calorem

conclusum in nube tonante, necesse est aquam esse magis coctam.

καὶ οὕτω παχύνεται, καὶ μελαίνεται.] Galenus *ad part.* 8. *sect.* 1. *lib.* 1. *epid.* comparans atros corporum & puros vapores cum exhalationibus à terra, ait causam splendoris aut nigredinis nubium esse raritatem corporis & densitatem. Nam quæ nubes rara est, quia totos radios solares in se suscipit, est alba; quæ densa, quia non recipit, fit nigra. Sed Aristot. *in libro de coloribus*, ait tribus modis nigrum aliquid fieri. Per se, cum corpus natura nigrum est, & visum congregat. Per accidens, cum à re visibili nulla lux ad oculum defertur: tum enim, cum locus ambiens videatur, alterum quod non videtur apparet nigrum. Tertius modus est, cum rara lux & exigua ab aliquo corpore resilit, vnde vmbræ apparent nigræ. Duo postrema valent in nube, quæ propter opacitatem lucem ad oculum non defert, & à qua lux exigua videtur resilire.

XXIX. ἀφέψεσθαι καὶ ἀποσήπεσθαι.] Galenus *ad part.* 10. *sect.* 4. *lib.* 6. *epid.* ait calefactione aquam duo consequi commoda. Vnum attenuationis, alterum secretionis rerum heterogenearum quibus redundat. Sed id fit in aqua, si ante perfectam putredinem coquatur. Nam, vt docet Galenus *ad aph.* 17. *lib.* 2. comparatione vini quod incipit acescere, coctio incipientem putredinem emendat. Quod autem Hippocrates nomen corruptionis hic de coctione dixerit, id nemini mirum, cum & in libro de alimento eadem ratione sit vsus.

καὶ βράγχος.] Paulus Ægineta *cap.* 50. *lib.* 1. inquit ab aqua pluuia raucitates, tusses, vocisque grauitates excitari cum incipit putrescere. Cur autem præcipuè has partes afficiat, colligere est ex Gal. *cap.* 17. *lib.* 2. *simpl.* Inquit enim tussim & raucedinem arteriæ inæqualitate fieri. Fit autem inæqualis ab oleis propter litum, à rebus acribus & subsalsis, itemque astringentibus propter asperitatem. Est autem aqua pluuia natura sua astringens, ideoque dysentericorum clysteribus adhibetur. Est subsalsa, vt docet Scaliger *exerc.* 51. *in Card.* Et propter putredinem ab externo calore acrimoniam acquisiuit. Omnibus igitur suis qualitatibus pectori nocet.

At verò aquæ ex niue ac glacie productæ, omnes malæ sunt. Quum enim semel concretæ fuerint, non amplius in pristinam naturam restituuntur. Sed quod quidem in ipsa clarum & leue, & dulce est, excernitur ac disperditur: quod verò tur-

Τὰ δ' ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων, πονηρὰ πάντα. ὁκόταν γὰρ ἅπαξ παγῇ, οὐκ ἔτι ἐς τὴν ἀρχαίην φύσιν καθίσταται, ἀλλὰ τὸ μὲν αὐτέου λαμπρὸν καὶ κοῦφον, καὶ γλυκὺ ἐκκρίνεται, καὶ ἀφανίζεται. τὸ δὲ θο- TEXT. XXX.

λωδέστατον καὶ σταθμωδέστατον, λεί-
πεται. γνοίης δ' ἂν ὧδε. εἰ γὰρ βού-
λει ὅταν οἱ χειμῶνες ἀγγεῖον μέτρῳ
ἐγχέας ὕδωρ, θεῖναι ἐς τὴν αἰθρίην,
ἵνα πήξεται μάλιστα. ἔπειτα τῇ
ὑστεραίῃ εἰσενεγκὼν εἰς ἀλέην, ὅ-
που χαλάσῃ μάλιστα ὁ παγετός.
ὁκόταν δὲ λυθῇ, ἀναμετρεῖν τὸ
ὕδωρ, εὑρήσεις ἔλασσον συχνῷ.
XXXI. τοῦτο τεκμήριον, ὅτι ὑπὸ τῆς
πήξιος, ἀφανίζεται καὶ ἀναξη-
ραίνεται τὸ κουφότατον καὶ λεπτό-
τατον, οὐ τὸ βαρύτατον, καὶ πα-
χύτατον, οὐ γὰρ ἂν δύναιτο. ταύ-
τῃ οὖν νομίζω πονηρότατα ταῦ-
τα τὰ ὕδατα εἶναι τὰ ἀπὸ χιόνος
καὶ κρυστάλλου, καὶ τὰ τούτοισιν
ἑπόμενα πρὸς ἅπαντα χρήμα-
τα. περὶ μὲν οὖν ὀμβρίων ὑδά-
των, καὶ τῶν ἀπὸ χιόνος καὶ κρυ-
XXXII. στάλλων, οὕτως ἔχει. λιθιῶσι δὲ
μάλιστα ἄνθρωποι, καὶ ὑπὸ
νεφριτίδων καὶ στραγγουρίης ἁλί-
σκονται, καὶ ἰσχιάδων, καὶ κῆλαι γί-
νονται, ὅκου ὕδατα πίνουσι παν-
τοδαπώτατα, καὶ ἀπὸ ποταμῶν
μεγάλων, εἰς οὓς ποταμοὶ ἕτεροι
ἐμβάλλουσιν. καὶ ἀπὸ λίμνης, εἰς
ἣν ῥεύματα πολλὰ καὶ παντοδα-
πὰ ἀφικνεῦνται. καὶ ὁκόσοι ὕδασιν

bidissimum est ac ponderosissimum, relinquitur. Hoc verò cognoueris hoc modo. Si enim volueris hyemis tempore, vasculum certa aquæ mensura infusa, sub dio exponere, quo maximè congeletur: deinde postridie in locum calidum deportatum sinere, quo maximè glacies liquescat, & vbi exoluta fuerit, aquam metiri: reperies aquam multo pauciorem. Atque hoc signum est, quod à congelatione id quod leuissimum ac tenuissimum est, disperditur, & non quod grauissimum & crassissimum existit. Non enim hoc disperdi potest. Hac igitur de causa has aquas, quæ à niue & glacie eliquantur, pessimas esse puto ad omnes res. Itemque eas quæ ad has sequuntur. Atque sic quidem de pluuialibus & niualibus ac glacialibus aquis res se habet. Calculo verò maximè laborant homines, & ex renum affectionibus & vrinæ stillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus, in quæ alia deferuntur, & de stagno in quod fluxiones multæ ac omnis generis deueniunt: & qui aquis

inuectitiis vtuntur, quæ ex longo & non breui locorum interuallo afferuntur. Non enim fieri potest, vt alia aqua similis sit alij. Sed aliæ dulces sunt, aliæ salsæ & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt. Vbi vero hæ simul inter se miscentur, dissident: & quæ fortissima est, semper superat. Præualet autem non semper eadem, sed aliàs alia. Sed & ex ventis, alij quidem Boreas robur exhibet, alij verò Auster, & de reliquis eadem ratio existit. Talibus igitur necesse est limum & arenam in vasis subsidere: & ab his, si potentior, morbi prædicti fiunt.

TEXT. XXXIII. ἐπακτοῖσιν χρέονται διὰ μακροῦ ἀγομένοισι, καὶ μὴ ἐκ βραχέος. οὐ γὰρ οἷόν τε ἕτερον ἑτέρῳ ἐοικέναι ὕδωρ. ἀλλὰ τὰ μὲν γλυκέα ἐστί. τὰ δὲ ἁλυκά τε καὶ στυπτηριώδεα. τὰ δὲ ἀπὸ θερμῶν ῥέει. ξυμμισγόμενα δὲ ταῦτα ἐς ταυτὸν ἀλλήλοισιν, στασιάζει, καὶ κρατεῖ ἀεὶ τὸ ἰσχυρότατον. ἰσχύει δὲ οὐκ ἀεὶ τωὐτό. ἀλλ' ἄλλοτε XXXIV. ἄλλο. καὶ τὰ πνεύματα, τῷ μὲν γὰρ βορέης τὴν ἰσχὺν παρέχεται. τῷ δὲ, ὁ νότος καὶ τῶν λοιπῶν πέρι ωὑτὸς λόγος. ὑφίστασθαι οὖν τοῖσι τοιουτέοισιν ἀνάγκη ἐν τοῖς ἀγγείοις ἰλὺν καὶ ψάμμον, καὶ ἀπὸ τούτων πινομένων τὰ νοσήματα γίγνεσθαι τὰ προειρημένα.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

TEXT. XXX. Τὰ δὲ ἀπὸ χιόνος.] Hippocrates aquas niuales & glaciatas pluuijs opponit tanquam omnino contrarias, eo quod in pluuia, quidquid est tenuius ac dulcius retinetur: contrà in aqua glaciata, quidquid grauius est & crassius remanet: omnis autem tenuitas concretione deperditur.

ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων.] Ex Arist. *in lib. de mundo*, ex nubium coactarum percussione & elisione, fit aquæ gelatæ (quæ nix est) expressio. In niue autem tria considerare oportet; qualitatem frigidam, colorem album, consistentiam spumosam. Vi concretionis & gelatus est frigida. Vi collisionis fit spumosa & alba, quoniam per collisionem plurimum spiritus in materia crassa retinetur. Est autem Aristotelicum axioma *cap. 2. lib. 2. de animal. generat. omnem substantiam humidam, quæ beneficiò inclusi spiritus spumosa redditur, albescere.* Gelu autem eidem Aristo-

teli *in lib. de mundo*, est aqua, quæ ex puro serenoque cœlo vniuersim concreuit. Distinguitur igitur à niue duobus modis. Primus est, quia nix fit cœlo nubiloso, gelu autem cœlo sereno. Secundus est, quia gelu vniuersim concrescit, nix autem propter subtilitatem materiæ, & conclusum spiritum tota concrescere non potest. Interim vtriusque generationis forma ostendit has aquas esse pessimas, propter duritiem, & frigoris excessum.

ὑπὸ τῆς πήξιος.] Quæstio hic oriri potest, an velit Hippocrates in ipso congelationis actu, quod tenue est disperdi; an vero in resolutione. Sed si sequamur interpretationem Oribasij *cap. 14. lib. 1.* ἐκπιεσῶν, in ipsa congelatione per compressionem fit humoris tenuis & dulcis expressio, & per expressionem dissipatio. Interpretationem Oribasij confirmat experientia, quod aquæ congelatæ margines statim demittuntur, & vas minus plenum apparet. Quia etiam gelu non fieret, nisi frigiditas ambientis per omnem substantiam aquosam penetraret. Hinc patet vi frigoris ipsam in aqua latentem deperdi. Quod si quid remansit, in glaciei resolutione rursum idipsum euaporat, adeo vt aqua glaciata omnibus modis mala sit. Tamen Galenus *cap. 13. lib. de euchym.* aquæ niualis vsum ad vini refrigerationem homini temperato permittit. XXXI.

πρὸς ἅπαντα χρήματα.] Aquæ enim frigidæ, velut nix & glacies, exasperata per frigus arteria, tusses mouent, induratis venis ipsas rumpunt, compresso cerebro destillationes mouēt, penetratione sua viscera mordicant, condensando cutem obdurant, refrigeratione caloris natiui suppurationem impediunt, eius extinctione nigrorem inducunt, pororum coarctatione rigorem excitant febrilem, ossa, dentes, neruos, dorsalem medullam lædunt. Præter quæ Cardanus addit ab aqua glaciata scirrhum hepatis, colicum dolorem, renum & vesicæ calculum, ventriculi noxam vsque ad pulsus intermissionem excitari.

ἀναξηραίνεται.] Ex Gal. *c. 4. lib. 5. simpl.* tribus modis aliquid fit durum simpliciter: vel repletione, quæ tendat; vel concretione, quæ congelet; & siccitate. Et vnus est modus per coniugationem duarum simplicium qualitatum; vt in modis, in quibus est concretio cum plenitudine. Glacies autem fit dura per concretionem, non per siccitatem propriè dictam.

Νοσέουσι δὲ μάλιστα ἄνθρωποι.] Hippocrates quinque proponit morborum genera; vesicæ calculum, renum, vrinæ, coxæ, & herniæ, quæ manant ab aquis omnis generis, id est, ab aquis, quæ propter mixtionem aliarum multiplicis sunt naturæ. Hæ autem aquæ omnis generis diuidi possunt in eas, quæ tales sunt natura loci, vt fluuiales; & in eas quæ tales sunt hominum industria, vt quæ canalibus in vrbem deducuntur. XXXII.

ὑπὸ νεφριτίδων.] Hippocrates *in libro de internis affect.* morbos renum quadruplices facit. Primus est cum dolore renis, lumborum & testiculi eiusdem lateris, cum frequenti mictione, quæ sensim astringitur, deinde supprimitur: fitque morbus à pituita, quam ren in seipsum su-

sceptam in tophum indurat. Secundus est à ruptione venæ, vnde mi-ctus sanguinis, postea puris. Tertius est à defluxu melancholici humo-ris, vnde qui humor effluit, similis est succo carnis bubulæ assæ. Quar-tus cum dolore lumborum, qui similis sit parturienti mulieri. Hîc pri-mum morbum magis intelligere par est. Nam, vt inquit Galenus *in lib. de renum affect. cap.* 2. etsi νεφρῖτις significet omnem renis affectionem præter naturam, propriè tamen de calculo est intelligenda: qui, quo-niam generatur à crudis & crassis succis, & debilitate expultricis renis, vt notat Galenus *aph.* 31. *lib.* 3. ab aqua naturæ multiplicis produci po-test.

& στραγγουρίης.] Galenus *ad aph.* 48. *lib.* 7. inquit stranguriam esse excre-tionem vrinæ κατὰ στράγγα, id est, guttatim. Cato *in re rustica*; *lotium sub-stillum* appellauit. Quotiescunque autem vesica nondum iusto modo implera cogitur ad vrinam excernendam, στραγγουρία fit, vt notat Gale-nus *ad ægrum* 1. *sect.* 1. *lib.* 3. *epid.* Est autem ipsa quadruplex. Vna dice-tur totius corporis, cum videlicet vniuersum corpus acuto morbo cor-reptum per vrinam repurgatur, & hanc Hippocrates *part.* 8. *sect.* 2. *lib.* 1. *epid.* stranguriam non nephriticam appellauit. Secunda dicetur ne-phritica, cum acris aut purulentus humor in rene contentus stillatim per vesicam excernitur. Tertia dicetur vesicaria (κυστικὰ) quæ depen-det à sola refrigeratione, & debili retentrice facultate vesicæ; de qua locutus est Hippocrates *aph.* 48. *lib.* 7. Quarta proximorum erit loco-rum, cum videlicet propter inflammationem intestini recti aut vteri, vrina acrior reddita stillatim effluit. Fieri igitur poterit, vt vesica aquæ potu refrigerata stranguriam patiatur.

ἰσχιάδων.] Hippocrates *in lib. de loc. in hom.* inquit ischiadē à fluxione fieri, quotiescūque fluxus non habens qua euacuetur, in articulum qui dehiscit, recipitur. Causæ eius sunt *ex lib. de affect. intern.* quotiescun-que per venas bilis & pituita putrida sanguini permiscetur, aut (vt patet ex Galeno *ad aph.* 22. *lib.* 3.) quotiescunque est humorum mali-gnitas, aut partis refrigeratio. Nam *ex aph.* 59. & 60. *lib.* 6. à pituita mu-cosa in coxæ articulo contenta fit ischias. Signa verò sunt ex eodem Hippocrate *in lib. de affect. intern.* dolor iuncturæ coxendicis, summa-rum natium & totius cruris. Cur autem crus vnà afficiatur, patet ex Hippocrate *in lib. de virginalib.* quod videlicet summa sit vasorum à co-xa ad crus vsque rectitudo. Cum igitur à refrigeratione & humorum malignitate ischias possit contingere; aqua generis omnis quæ refri-gerat, & debilitato ventriculo malignos humores procreare potest, teste Galeno *cap.* 11. *lib. de* εὐχυμ. ischiadem generabit.

ἢ ἀπὸ ποταμῶν.] Videtur Hippocrates sibi ipsi esse interpres, quasi di-ceret à se appellari aquas varij generis, aquas fluuiales, ex affluxu alio-rum fluminum; & stagnantes, ex lapsu variorum riuorum atque plu-uiarum. Interdixit autem Galenus magnis fluminibus, quæ præter-fluunt ciuitates magnas, quoniam omnia recrementorum genera in sese excipiunt. Excipit tamen Aëtius *cap.* 165. *serm.* 3. *primæ tetrabibl.*

Nilum,

Nilum, cuius aquæ quinque ponit virtutes; iucunditatem potus, distributionis facilitatem, sitis sedationem, coctionis auxilium, à frigiditate noxam nullam. Et Aëtij auctoritas confirmari potest ex Galeno *part. 3. sect. 3. libri de humor.* Vbi inquit paludes Ægyptias esse semper bonas, quoniam Nilus sub autumnum exundans paludum aquam veterem expellit, & nouam suggerit.

XXXIII. ὕδασιν ἐπακτοῖσιν.] Ἐπακτὸν apud Græcos nihil aliud est, quàm μὴ ἐπιχώριον, id est, minimè vernaculum, sed aduentitium: Adeò vt Hippocrates aquas intelligat, quarũ capita in remotioribus locis conquisita artificiosis substructionibus in ciuitatem deferuntur, & per varios canales vno ventre copulatos in idem castellum recipiuntur. Sic Claudius Cæsar Imperator aquam Ceruleam & Curtiam à quadragesimo ab vrbe lapide Romam excepit: Sic Marlianus *lib. 4. Rom. antiq.* meminit nouem fontium, qui priusquam Romam deriuarentur, septimo ab vrbe lapide limum suum in fossas destinatas deponebãt. Sic Galenus *part. 10. sect. 4. lib. 6. epid.* inquit lapideis substructionibus aquas Tybure Romam esse perductas. Has igitur aquas multiplices eodem castello exceptas triplici de causa damnat Hippocrates. Prima est, quod sint varij gustus. Secunda, quod non semper eadem præualeat. Tertia, quod pro varietate ventorum, quibus hi fontes cursus suos obuertunt, alias atque alias vires obtineant. Atque id fieri posse etiam in leui locorum interuallo supra docuit Hipp. cum ortus & occasus etiam in stadij spatio discerni posse discrimen dixit.

XXXIV. καὶ τὰ πνεύματα.] Ostensum est supra aquas boreales esse crudas & duras, australes salsas & calidas, occidentales autem turbatas.

XXXV. Ὅτι δὲ οὐχ ἅπασιν ἑξῆς φράσω. ὁκόσων μὲν ἥτε κοιλίη εὔροός τε καὶ ὑγιηρής ἐστιν. καὶ ἡ κύστις μὴ πυρετώδης: μὴ δὲ ὁ στόμαχος τῆς κύστιος ξυμπίμπραται λίην. οὗτοι μὲν διουρέουσι ῥηϊδίως. καὶ ἐν τῇ κύστει οὐδὲν ξυστρέφεται. ὁκόσων δὲ ἂν ἡ κοιλίη πυρετώδης ᾖ, ἀνάγκη καὶ τὴν κύστιν ταὐτὸ πάσχειν. ὁκόταν γὰρ θερμανθῇ μᾶλλον τῆς φύσιος, ἐφλέγμηνεν αὐτῆς ὁ στόμαχος. ὁκόταν δὲ ταῦτα πάθῃ,

Quod autem non omnibus, consequenter declarabo. Quorum quidem aluus satis fluida est ac sana, & vesica non ardens, neque stomachus vesicæ valdè coardescit, hi facilè vrinam deiiciunt, & in vesica nihil ipsis congregatur. Quorum verò aluus ardens ac feruida fuerit, in his necesse est etiam vesicam idem perpeti. Quum enim magis quam pro natura fuerit calefacta, stomachus ipsius inflammatur. Vbi vero hæc perpetitur, v-

rinam non dimittit, ſed in ſeipſa concoquit, & adurit: & quod quidem tenuiſſimum in ipſa eſt, excernitur: & quod puriſſimũ eſt, tranſit & emingitur. Quod vero craſſiſſimũ ac turbidiſſimum eſt, coaceruatur & concreſcit: primum quidem paruum, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina, quicquid craſſum compactũ fuerit, ad ſeipſum adaptat, atque ſic augeſcit, & in totum concreſcit. Et quum vrinam emittit, ad veſicæ ſtomachum allabitur ab vrina impulſum, & vrinæ emiſſionem impedit, & dolorem vehementem exhibet. Quare pueri calculoſi fricant, & trahunt pudenda. Videtur enim ipſis cauſa mictionis eo loco eſſe. Signum autem eius quod hæc ita ſe habent, hoc eſt. Vrinam ſplendidiſſimam calculoſi mingunt ad ſimilitudinem ſeri: eo quod id quod craſſiſſimum eſt ac bilioſiſſimum, iſthic manet & coaceruatur ac concreſcit. Et plerique ſanè hoc modo calculum contrahunt. Fit autem pueris etiam ex lacte, ſi non ſalubre id fuerit, ſed valde calidum ac bilioſum. Ventrem enim percalefacit & veſicam. Quare vrina dum ad-

τὸ οὖρον οὐκ ἀφίησιν, ἀλλ' ἐν XXXVI.
ἑωυτέῳ ξυνέψει καὶ συγκαίει.
τὸ μὲν λεπτότατον αὐτέου ἀποκρίνεται, καὶ τὸ καθαρώτατον, διεῖ καὶ ἐξουρέεται. τὸ δὲ παχύτατον καὶ θολωδέστατον, ξυστρέφεται καὶ συμπήγνυται. τὸ μὲν πρῶτον μικρόν. ἔπειτα μεῖζον γίνεται. κυλινδούμενον γὰρ ὑπὸ τοῦ οὔρου, ὅτι ἂν ξυνίστηται παχὺ, ξυναρμόζει πρὸς ἑωυτό, καὶ οὕτως αὔξεταί τε καὶ πωροῦται. καὶ ὁκόταν οὐρέῃ, πρὸς τὸν στόμαχον τῆς κύστιος προσπίπτει ὑπὸ τοῦ οὔρου βιαζόμενον, καὶ κωλύει οὐρέειν, καὶ ὀδύνην παρέχει ἰσχυρήν.
ὥστε τὰ αἰδοῖα τρίβουσι, καὶ ἕλ- XXXVII.
κουσι τὰ παιδία τὰ λιθιῶντα. δοκέει γὰρ αὐτέοισι τὸ αἴτιον ἐνταῦθα
εἶναι τῆς οὐρήσιος. τεκμήριον δὲ XXXVIII.
ὅτι οὕτως ἔχει. τὸ γὰρ οὖρον λαμπρότατον οὐρέουσιν οἱ λιθιῶντες πρὸς τὸν γινόμενον ὀρρόν. ὅτι τὸ παχύτατον καὶ χολωδέστατον αὐτέου μένει καὶ συστρέφεται. τὰ μὲν
πλεῖστα οὕτω λιθιᾷ. γίνεται δὲ παισὶν XXXIX.
καὶ ἀπὸ τοῦ γάλακτος, ἢν μὴ ὑγιηρὸν ᾖ, ἀλλὰ θερμόν τε λίην καὶ χολῶδες. τὴν γὰρ κοιλίην διαθερμαίνει καὶ τὴν κύστιν. ὥστε τὸ οὖ-

ἐὸν ξυγκαιόμενον ταῦτα πάσχει.
XL. καὶ φημὶ ἄμεινον εἶναι τοῖς παιδίοισιν τὸν οἶνον ὡς ὑδαρέστατον διδόναι. ἧσσον γὰρ τὰς φλέβας
XLI. ξυγκαίει καὶ συναυαίνει. τοῖσι δὲ θήλεσιν αἰδοίοις γὰρ οὐχ ὁμοίως. ὁ γὰρ οὐρητὴρ βραχύς ἐστιν ὁ τῆς κύστιος καὶ εὐρὺς, ὥστε βιάζεται τὸ οὖρον ῥηϊδίως. οὔτε γὰρ τῇ χειρὶ τρίβει τὸ αἰδοῖον, ὥσπερ τὸ ἄρσεν, οὔτε ἅπτεται τοῦ οὐρητῆρος· ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται. καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες εἰσὶν εὐρέες, καὶ πίνουσι πλέον ἢ οἱ παῖδες. περὶ μὲν οὖν τουτέων ὧδε ἔχει, ἢ ὅτι τουτέων ἐγγύτατα.

uritur, hæc patitur. Et sanè censeo melius esse pueris vinum quàm aquosissimum dare: minus enim venas adurit ac resiccat. Muliebribus autem pudendis non similiter contingit. Meatus enim vrinæ in vesica breuis est & amplus, vt facile vrina impellatur. Neque enim manu pudendum fricat, veluti masculus, neque vrinæ in vesica meatum contingit: ad pudenda enim perforatus est, & quia meatus sunt ampli, etiã plus bibunt, quàm pueri. Et de his quidem sic se res habet, aut his quam proximè.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Ὅτι δὲ οὐχ ἅπασιν.] Author libri de dignotione affectuum renis, calculi quatuor in vniuersum ponit causas, efficientem, & est calor; materialem, & est pituita crassa; instrumentariam, & est pars in qua fit; finalem, & est ipse calculus. Vbicunque autem pituita glutinosa ad sui concretionem satis caloris nacta fuerit, ibi generari calculus potest: & proinde in omni corporis parte. Itaque Fernelius *c.* 10. *lib.* 5. calculorum pulmonis meminit; *c.* 5. *lib.* 6. calculorum vesicæ fellis. Hollerius autem meminit calculi in capite reperti, ex intestinis deiecti. Et vbi disputat de vrinæ ardore, inquit in mulieris corde (quæ diu vrinam purulentam excreuerat) repertos esse duos calculos. Galenus quoque calculum in mulieris vtero repertum esse profitetur. Sed hic Hippocrates loquitur tantum de calculo vesicæ, ad cuius generationem tria requirit, ventris duritiem calidam, vesicæ ardorem, & eius colli immoderatum calorem.

ὁκόσων μὲν ἥ τε κοιλίη, εὔροός τε καὶ ὑγιηρή.] Per hanc dictionem non debemus intelligere aluum solam, sed omnem illam capacitatem, quæ est ab

ore superiore ventriculi vsque ad sphincterem. Idque patet ex collatione alterius loci Hippocratis, qui est 4. lib. de morb. vbi ostendens quomodo generetur calculus in puero ex lacte nutricis intemperato, docet quomodo lac ventriculo excipiatur, & chylum calculo aptum efficiat: tum subiungit: *Consentit enim totum corpus cum ventriculo.*

πυρετώδης.] Hinc apparet explodendam esse eorum opinionem, qui existimant lapidem generari in vesica à frigore: nullum enim in animante viuo tantum frigus esse potest, vt humores congelet. Itaq; Hippocrates *lib. 2. de nat. hum.* inquirens cur in pueris generatur calculus in vesica, non autem in senioribus, ait illos esse calidissimos, hos autem frigidiores. Et Galenus *ad aph. 26. lib. 3.* eadem ratione nixus inquit, calculum generari tenuiore materia in halitum dissipata, crassiore verò resiccata. Distinguitur verò generatio calculi vesicæ & renis hoc modo, vt colligere est ex Galeno *ad part. 15. sect. 3 lib. 6. epid.* quod calculus vesicæ sit puerorum, genitus à calore forti, agente in materiam coctione incrassatam: Contrà verò calculus renis est seniorum, genitus à calore mediocri, agente in materiam cruditate crassam: quæ propter debilitatem facultatis expultricis renis, eiusque duritiem, per vreterem expelli non potuit. Vnde notatu dignum est Galeni axioma *part. 6. sect. 1. lib. 6. epid. Quandiu tenues humores renesque molles, nunquam calculus in ipsis generatur.*

& τὴν κύστιν.] Id declarauit Hippocrates *aph. 58. lib. 5.* Cum enim inquit ex recti intestini & vteri inflammatione stranguriam fieri, facile ostendit calorem partium harum vicinarum vesicæ communicari. Cum enim vrinæ sit tantum materia duplex, serum videlicet sanguinis & bilis, per inflammationem vicinarum partium serositas exardescit, & bilis ignescit, vnde maior ad calculi generationem propensio.

XXXVII. τὸ δὲ παχύτατον καὶ θολωδέστατον.] Hoc fit quotiescunque alimentum purum non fuerit: tum enim eius duplex fit excrementum, tenue vnum, & crassum alterum. Atque id declarat Hippocrates *4. de morbis;* similitudine ferri in fornacibus facti. Fit autem ferrum ex materia terrena atque lapidea, quæ sæpius in ignem immittitur. Contingit autem vt excrementa ferri igne liquata effluant, ipsum autem induratum in fornace remaneat. Sic in agglutinatione calculi quicquid in vrina liquescit, emingitur: quod autem remanet, glutinum fit, incrassatur & adhæret. Quod si rudimentum inchoati calculi ab arena reliqua separatum profundè subsederit, nec subsequens materia crassa ipsi adhæserit, nouus calculus generatur.

& ὁκόταν οὐρέῃ, πρὸς τὸν.] Hippocrates *lib. 4. de morbis*, quinque signa præsentis calculi tradit. Primum est vesicæ ardor, qui indicatur ex summa præputij parte incalescente. Secundum est, subcruenta ab exulceratione vrina. Tertium est stranguriosa mictio. Quartum, arena subsidens. Quintum, & istud omnium certissimum, dolor pungens post mictum. Galenus autem *cap. 3. lib. de dignot. affect. renis*, distinguit dolorem à calculo vesicæ, & à calculo renis, hoc modo. Quod in

rene dolor sit grauitatis & extensionis: dum enim ren dilatatur, eius membrana dolet. Dolor autem vesicæ est exulcerans & pungens: idcoque Aretæus *cap. 9. l. 2. de curat. morbor. acutor.* inquit dolorem calculi vesicæ esse vehementiorem dolore renis.

ὥστε τὰ αἰδοῖα τρίβουσι καί.] In calculosa vesica vrina incalescit, quia moram facit. Ex hoc calore pudendi pruritus, & hinc fricandi cupiditas. Cum autem vrina emittitur, calculus obuiam se offerens dolorem vlcerosum excitat, vnde tum pueri sibi pudenda vellicant. Ex hac autem frequenti attritione arteriæ, quę plurimæ ad hanc partem attinent, incalescunt, & per affluxum copiosi spiritus pudendum arrigitur. XXXVII.

τὰ παιδία λιθιῶντα.] In hoc calculi tractatu puerorum tantum meminit Hippocrates, quoniam (vt notat Galenus *ad aph. 26. lib. 3.*) calculus morbus est puerilis ab edacitate & crassorum humorum coaceruatione. Aëtius autem *tetrab. 3. serm. 3. cap. 9.* duas ponit causas calculi puerilis, edacitatem scilicet & motum. Labor enim à cibo crudum chylum à ventriculo demittit, vnde succorum in venis cruditas. Quod autem hic ab interpretibus citatur Alexandri Aphrodisiensis problema 109. lib. 1. ipsum cum disciplina Hippocratis & Galeni non consentit. Vult enim Alexander angustos esse puerorum renes, qui humorem comprimunt, vt in vesicam exprimant: vnde in renibus pueri calculum non generant: Contrà renes hominum sunt laxiores, vt satis viæ sit & demittendæ vrinæ, & retinendi crassamenti. Sed Galenus *ad part. 15. sect. 3. lib. 6. epid.* hanc rationem refellit: nam angusti renes facilius obstruuntur, proinde in renibus puerorum calculus facilius generatur. Vnde concludit Galenus, quod in pueris cùm sit multus calor, materia quodammodo funditur, & à rene molli in vesicam facile percolatur. Hîc ob frigiditatem partis, excrementum minus promptè expulsum, vi caloris natiui elaboratius redditum tenacius fit, atque inde calculus.

τὸ γὰρ οὖρον λαμπρότατον.] Ex hoc loco confirmatur digna illa apud Hippocratem *part. 15. sect. 3. lib. 6. epid.* distinctio generationis calculi, quod videlicet calculus in rene fiat πρὸ οὐρήσιος, id est, ante vrinæ emissionem: contrà verò in vesica fit μετ' οὔρησιν, id est, post vrinam emictam. Est enim apud Hippocratem οὔρησις, tam ipsius vrinæ in vesica confectio, quàm ipsamet mingendi actio. Igitur quia calculus renis à debilitate facultatis expultricis generatur, fit ante mictum. Quia verò calculus in vesica fit à crassitudine & tenacitate materiæ, non autem expultricis debilitate, idcirco generatur post serosæ substantiæ excretionem. XXXVIII.

καὶ συστρέφεται.] Ex hoc loco fit manifestissimum, citrà vllam renis nephriticam affectionem calculum in vesica generari posse, contra opinionem Fernelij *cap. 13. lib. 6. de part. sympt.* qui suæ sententiæ confirmandæ causa tres affert rationes. Prima est, quid impediat, cur calculus inchoatus non effluat, cum crassa pituita, pus, & grumi sanguinei per eius collum excernantur? Secunda est, quod effractis calculis nucleus reperiatur, qui in rene videtur originem habuisse. Tertia

est, quod nemo calculo vesicæ laborauit, qui antè nephriticus non fuerit. Ad primam eius rationem ita satisfit: sanguineos grumos, pus & pituitam lentam è vesica effluere, cum sana est; & nondum inflammata: at quæ vesica calculum generat, intemperie iam supra modum calida laborat. Præterea argumentum Fernelij est ἀνήσυχον. Si enim grumi sanguinei, pituita crassa, & pus per vesicæ collum effluunt, cur non & minutulus lapis è rene delapsus, cum maior sit capacitas colli vesicæ quam vreteris? Ad secundam rationem de experientia nuclei reperti, responderi potest, nonnullos calculos à rene traxisse rudimentum, qui posteain vesica incrementum habuerint. Tertia ratio est penitus falsa. Scripsit enim Hippocrates *in Coacis animaduersionibus* nephriticos affectus reperiri non posse ante pubertatis annum, calculi autem ante hanc tempestatem multi. Rondeletius *cap.44. lib. 3. de curandis morbis*, dicit à se multos visos, qui ab vtero matris calculum contraxerant: At hi in vtero nephritici esse non poterant. Nam ex eod. Fern. *cap.12. lib. 6. sympt.* tantus est nephriticus dolor, vt omnia interiora peritonæo contenta vellicet: hos autem impetus puer in vtero citra abortum aut mortem ferre nequiuisset. Tenendum igitur cum Hippocr. *lib. 4. de morb.* in generatione calculi omnia quæ crassiora sunt in vesicæ fundo subsidere, sicque non effluentia crassescere.

χαλαζώδεσται.] Si hæc lectio retineatur, confirmari debet authoritate Galeni *progn.38. lib.2.* Inquit igitur pituitosum humorem frigore crassiorem reddi, biliosum autem propter caloris exuperantiam euaporari & assari. Hæ sunt enim duę crassitudinis causæ, frigidum admodum, & calidum. Frigidum, quoniam astringit: calidum, quoniam euaporat.

XXXIX. ἐκ τοῦ τῆς γάλακτος.] Ex Hippocrate *lib. 4. de morb.* lactis est triplex substantia, serosa, qua deijcit aluum; butyrosa, qua facile incalescit; & caseosa, quæ in calculum facilè coagulatur, propter obstructionem quam facit. Igitur lactis est maxima ratio habenda, cum ex Hippocrate *lib. 2. de diæt. quale lac est, talis sit & sanguis, & carnes.* Ex eodem autem *lib. 4. de morbis*, duobus modis lac fit in muliere prauum, naturali eius intemperie, id est, si aquosa, si pituitosa, si sanguinea, si biliosa fuerit; & prauorum ciborum vsu. Seligetur autem lac optimum, teste Galeno *c. 15. lib. 3. de aliment.* si contrariis facultatibus æquabiliter præditum fuerit, subducendi, sistendi, obstruendi, tenuandi. Idque cognoscetur his septem notis: si sit substantia tenue, si non albescat vt nix, sed leuiter ad liuorem tendat, si sit odore grato, sapore dulci, si copia moderata, si vngui impositum clarum sit, si capsula conclusum statim habeat crassitudinem subsidentem, butyrum eminens; & serum medium.

ἐς τὴν κοιλίην διαφθείρεται.] Dixit Hippocrates *lib. 4. de morb.* ex lacte bilioso debilitatem & in morbum propensionē in ventriculo excitari. At ex Cornelio Celso *cap. 28. lib. 2.* lac in vitioso ventriculo facillimè corrumpitur, quoniam in frigido acescit, in calido nidorosum olet.

XL. τὸν οἶνον.] Non vult Hippocrates pueris lactentibus pro lacte vinum

dari. Sed hic textus referendus est ad totum tractatum præcedentem de calculo & aqua. Quasi dicat Hippocrates. Cum aquarum vitio sæpissime in calculum incidat, præstat ei vinum aquosissimum dare. Sed obiicietur Galenus *cap.11.lib.1.sanit. tuend.* Nam vini tres tantum sunt vtilitates, solidarum partium resiccatarum humectatio, biliosi humoris retusio atque per vrinas & sudores euacuatio, tum prompta nutritio. Duo sunt autem incommoda, nimia calefactio & capitis repletio. Horum incommodorum pueri facilè fient participes, quoniam vinum incalescens, caput replebit. At commodum nullum sentient; nam nec egent solidarum partium humectatione, cum sint temperamento humidi; nec bilis, aut retusione, aut euacuatione, cum paucam generent; nec prompta nutritione, cum sint validis facultatibus naturalibus. Sed Hippocrates non simpliciter vinum propinat; sed vinum aquosissimũ. Tale autem illud est, teste Galeno *ad part. 8. sect. 3. lib. de vict. acut.* quod colore album est, substantia tenue, citra astrictionem, austeritatem, dulcedinem, acrimoniam, , odorem; hoc vno ab aqua differens, quod promptè distribuatur. Etsi hoc in febribus vtile est, multo magis in pueritia sana.

πίσι δὲ θήλεσι αἰδοίοις ὁμοίως.] Ostendit Hippocrates rariorem in muliere calculi generationem esse quàm in viro, propterea quod & mulier facilius mingat, & ad crassæ pituitæ eductionem laxiores meatus habeat: proindéque concludit symptomata fricandorum pudendorum in ipsis esse rariora. XLI.

οὐ γὰρ οὐρητὴρ βραχὺς ἐστι.] Notandum est *οὐρητῆρα* ab Hippocrate dici pro vesicæ collo; quod à recentioribus Græcis, temporibus Galeni, dicebatur *οὐρηθρά.* Collum autem vesicæ in viris substratum recto intestino, per perinæum ad ossa pubis ascendit, & in virile pudendum extenditur, S Romanæ literæ figuram habens: & præter hæc à parastatis adenosis comprimitur, musculumque suum sphincterem angustiorem obtinet: adeo vt triplex videatur causa, cur in viris frequentius retineatur; figura ipsius colli anfractuosa, parastatarum compressio, musculi angustia. Sed in mulieribus sphincter vesicæ maior est, vniuersum collum ambiens, & collum nullis coërcetur parastatis, ipsiusque vteri ceruici superior incubat, recta deorsum protenditur, vnde facilior vrinæ emissio. Quod autem parastatæ vesicæ collum coërceant, patet ex hominibus, qui si micturientes cum muliere coëant, semen emittent, non vrinam, quoniam à parastatis semine turgentibus vesicæ collum constringitur. Vide Vesalium *cap.11.lib.5. anat.* & Gal. *cap. vlt. lib. 5. de vs. part.*

διαζεται τὸ οὖρον ῥηϊδίως.] Proinde Alexander Aphrodisiensis *lib. 2. probl.* inquit mulieres calculo minus esse obnoxias, quia per amplitudinem & rectitudinem meatus, vnà cum vrina mucositatem facilius excernunt. Et hac in re mulieri natura prouidit, vt cuius vrina sit longè crassior, quàm masculi, ideoque plus habeat materiæ calculosæ: ista autem crassitudo à deteriore coctione promanat.

τρίβει τὸ αἰδοῖον.] Contrarium est apud Celsum, qui *cap* 7. *lib.* 2. inquit à muliere calculosa pudendi oras fricari. Sed vult Hippocrates hoc rarius esse in muliere quàm viro. Nam cum Archigenes apud Galenum *cap.* 7. *lib.* 2. *loc. affect.* distinguit dolorem vlcerosum à punctorio; inquit hunc ad profundas pertinere partes, illum ad superficiarias: proinde ab vlceroso dolore pruriginosum posse excitari. Et Galenus eius sententiam explicans inquit, sæpe pruritus ante vlcerosum dolorem fieri, & contrà vlcerosos dolores in pruriginosos mutari, quod in vlceroso dolore sit aliquid mite. Cum igitur supra docuerimus dolorem à calculo vlcerosum esse; excitata prurigine frictionem facit. Duæ sunt autem causæ, cur id in viro potiùs quàm in muliere. Prima, quoniam parastatæ adenosi, vesicæ virilis collum spermatico sero humectant & irrigant, vt inquit Vesalius *cap.* 11. *lib.* 5. Secunda, quoniam idem est meatus vrinæ excernendæ & semini, proinde à semine rursum titillatio concitari potest.

& διότι οἱ οὐρητῆρες.] Sensus est Hippocratis, idcirco vesicæ muliebris vreterem esse laxiorem, quoniam sit & intus, & breuior. Nam est axioma Galeni *in placitis Hippocratis & Platonis; Vnumquodque vas quo propius abest ab ortu suo, eo laxius esse.*

& πίνουσι πλεῖον.] Si hæc retineatur lectio, sensus hic erit Hippocratis, ad copiosiorem potum sequi frequentiorem vrinæ mictum: adeo vt semper vrina noua in vesicam succedens, & veterem expellens impediat generationem calculi, quia nunquam ista serositas torpida in vesica morabitur. Ex frequenti autem potione sequi quoque frequentem mictum docet Hippocrates *lib.* 2. *prorrhetici*, cum ait vrinam debere respondere potui in copia: hocq; vno distingui, quod reddatur crassior, quam quod potatum est. Huic simile est, quod scribit Galenus *cap. vlt. lib.* 1. *nat. facult.* Nempe totum potum in vrinam conuerti, nisi si quid aut exit per aluum, aut in sudorem abit, aut per insensilem euaporationem excernitur. Tamen Alemani correctio videtur esse retinenda, legendumque οὐρέουσι. Quod enim breue sit, & latum vesicæ muliebris collum, ipsa vix vrinam continet.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ

ΠΕΡΙ ΑΕΡΩΝ, ΥΔΑΤΩΝ, ΤΟΠΩΝ.

Τρίτον μέρος περὶ τῶν ὡρέων.

HIPPOCRATIS

LIBRI DE AERIBVS, AQVIS, ET LOCIS;

Tertia pars, quæ est de temporibus.

TEXT. I. ΠΕΡΙ δὲ ἐτῶν ὧδε ἄν τις ἐνθυμεύμενος διαγινώσκοι, ὁκοῖόν τι μέλλει ἔσεσθαι τὸ ἔτος, εἴτε νοσερὸν, εἴτε ὑγιηρόν.
II. ἢν μὲν γὰρ κατὰ λόγον γίνεται τὰ σημεῖα ἐπὶ τοῖς ἄστροισι, δύνουσί τε καὶ ἐπιτέλλουσιν· εἴτε τῷ μετοπώρῳ ὕδατα γένηται. καὶ ὁ χειμὼν

CÆTERVM de annis hoc modo consideratione facta, quis cognoscere possit, qualisnam annus sit futurus, salubrisne, an morbosus. Si enim secundum rationẽ fiant signa in astris occidentibus ac orientibus: & in autumno aquæ fiant: & hyems

ſit moderata, & neque valdè clemens, neque modum excedens frigiditate: & in vere ac in æſtate tempeſtiuè pluat: ſic ſanè ſaluberrimum eſſe annum par eſt. Si verò hyems quidem ſicca ſit & borealis, ver autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtatem febriculoſam fieri, & lippitudines inducere. Quum enim æſtus derepente accedat, terra humida exiſtente à vernis imbribus, & ab auſtro: neceſſe eſt æſtum duplicatum eſſe, & à terra irrigua & calida, & à ſole vrente: quum ventres in hominibus nondum conſtricti ſint, neque cerebrum reſiccatum. Non enim fieri poteſt, quum ver tale exiſtat, vt corpus & caro non humore fluida fiant, adeò vt febres acutiſſimæ in omnes irruant, maximè autem in pituitoſos. At dyſenterias par eſt fieri & mulieribus, & viris humidioribus. Et ſi quidem circa canis exortum accedat aqua ac tempeſtas, & Eteſiæ ſpirauerint, ſpes eſt ceſſationis, & vt autumnus ſalubris fiat. Sin minus, periculum eſt, ne & pueri, & mulieres moriantur.

μέτριος. καὶ μήτε λίην εὔδιος, μήτε ὑπερβάλλων τὸν καιρὸν ἐς τὸ ψῦχος· ἔν τε τῷ ἦρι ὕδατα γένηται ὡραῖα καὶ ἐν τῷ θέρει. οὕτω τὸ ἔτος ὑγιεινότατον εἰκὸς εἶναι. ἢν δὲ ὁ μὲν χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἦρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τὸ θέρος πυρετώδεα γίνεσθαι, καὶ ὀφθαλμίας ἐμποιεῖν. ὁκόταν γὰρ τὸ πνῖγος ἐπιγένηται ἐξαίφνης, τῆς τε γῆς ὑγρῆς ἐούσης ὑπὸ τῶν ὄμβρων τῶν ἐαρινῶν, καὶ ὑπὸ τοῦ νότου, ἀνάγκη διπλόον τε καῦμα εἶναι, ἀπό τε τῆς γῆς διαβρόχου ἐούσης καὶ θερμῆς, καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου καίοντος, τῶν τε κοιλιῶν μὴ ξυνεστηκυιῶν τοῖς ἀνθρώποις. μήτε τοῦ ἐγκεφάλου ἀνεξηρασμένου. οὐ γὰρ οἷόν τε τοῦ ἦρος τοιουτέου ὄντος, μὴ οὐ πλαδᾷν τὸ σῶμα, καὶ τὴν σάρκα, ὥστε τοὺς πυρετοὺς ἐπιπίπτειν ὀξυτάτους ἅπασιν. μάλιστα δὲ τοῖσι φλεγματίῃσι, τὰς δυσεντερίας εἰκός ἐστι γίνεσθαι, καὶ τῇσι γυναιξὶν, καὶ τοῖς εἴδεσιν τοῖς ὑγροτάτοισι. καὶ ἢν μὲν ἐπὶ κυνὸς ἐπιτολῇ ὕδωρ ἐπιγένηται καὶ χειμὼν, καὶ οἱ ἐτησίαι πνεύσωσιν ἐλπὶς παύσασθαι, καὶ τὸ μετόπωρον ὑγιηρὸν γενέσθαι. ἢν δὲ μὴ, κίνδυνος θανάτους τε γενέσθαι τοῖσι παιδίοισι, καὶ τῇσι γυναιξίν. III.

τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσιν ἥκιστα. τούς
τε περιγινομένους εἰς τεταρ-
ταίους ἀποτελευτᾶν. καὶ ἐκ τῶν
LV. τεταρταίων ἐς ὕδρωπας. ἢν δ'
ὁ χειμὼν νότιος γένηται, καὶ ἔ-
πομβρος, καὶ εὔδιος. τὸ δὲ ἦρ
βόρειόν τε καὶ αὐχμηρὸν καὶ χειμέ-
ριον. πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας
ὁκόσαι ἂν τύχωσιν ἐν γαστρὶ ἔχου-
σαι, καὶ ὁ τόκος αὐτῇσιν ᾖ πρὸς
τὸ ἦρ, ἐκτιτρώσκεσθαι. ὁκόσαι
δ' ἂν καὶ τέκωσιν, ἀκρατέα τὰ
παιδία τίκτειν καὶ νοσώδεα. ὥστε ἢ
αὐτίκα ἀπόλλυσθαι. ἢ ζῶσι λε-
πτά τε ἐόντα καὶ ἀσθενέα καὶ νοσώ-
δεα. ταῦτα μὲν τῇσι γυναιξὶν.
τοῖς δὲ λοιποῖσι δυσεντερίας, καὶ
ὀφθαλμίας ξηρὰς καὶ ἐνίοισι κα-
τάῤῥους ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ
τὸν πνεύμονα. τοῖσι μὲν οὖν φλε-
γματίῃσι τὰς δυσεντερίας εἰκὸς
γίγνεσθαι, καὶ τῇσι γυναιξὶν, φλέ-
γματος ἐπικαταῤῥυέντος ἀπὸ τοῦ
ἐγκεφάλου διὰ τὴν ὑγρότητα
τῆς φύσιος. τοῖσι δὲ χολώδεσιν,
ὀφθαλμίαι ξηραὶ διὰ τὴν θερ-
μότητα καὶ ξηρότητα τῆς σαρκός.
τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, κατάῤῥους
διὰ τὴν ἀραιότητα καὶ τὴν
ἔκτασιν τῶν φλεβῶν. ὥστε ἐξαίφνης τοὺς μὲν ἀπὸ φρενίτιδος ἀπόλ-
λυσθαι, τοὺς δὲ παραπλήκτους γίνεσθαι τὰ δεξιά. ὁκόταν γὰρ τοῦ χειμῶνος

Minime vero senes: & ne qui superstites euadant, in quartanas desinant, & ex quartanis in hydropas. Si verò hyems australis fiat, & pluuiosa, & clemens, ver autem boreale, & siccum, & tempestuosum: primũ quidẽ mulieres quæ vterum gestant, & partus ipsis ad ver instat, abortum facturas esse verisimile est: quæ vero etiam pepererint, impotentes ac morbosos pueros parere, ita vt aut statim pereant, aut tenues & debiles ac morbosi viuant. Atque hæc quidem mulieribus: reliquis verò dysenterias & lippitudines siccas: & aliquibus defluxiones à capite in pulmonem. Pituitosis igitur dysenterias fieri verisimile est, & mulieribus, pituita de cerebro defluente, propter naturæ humiditatem. Biliosis vero lippitudines siccas, propter carnis caliditatem ac siccitatem. Valdè autem senibus defluxiones, propter raritatem ac eliquationẽ venarũ, adeo vt repente phrenitide pereant, alij vero resoluti dextra parte fiant. Quum enim hyems

sit australis, & pluuiosa ac calida, & corpus non adstringatur, neque venæ, vere accedente boreali, & sicco ac frigido, cerebrum postquam ipsum dissolui ac purgari contigit à grauedine ac raucedine, tunc simul cum vere stabilitur ac constringitur. Quare derepente æstate accedente, & ardore ac mutatione contingente, hi morbi incidunt. Et intestinorum læuitates, & aqua intercus, fere reliquis morbis desinentibus, superueniunt, quū non queant facilè ventriculi à concepta humiditate exsiccari.

ἐόντος νοτίου τοῦ θερμοῦ τοῦ σώματος μὴ ξυνίστασθαι, μὴ δὲ φλέβες, τοῦ ἦρος ἐπιγενομένου βορείου καὶ αὐχμηροῦ καὶ ψυχροῦ, ὁ ἐγκέφαλος ὁπηνίκα αὐτὸν ἔδει ἅμα τῷ ἦρι διαλύεσθαι, καὶ καθαίρεσθαι ὑπό τε κορύζης καὶ βράγχων, τηνικαῦτα πήγνυταί τε καὶ ξυνίσταται. ὥστε ἐξαίφνης τοῦ θέρεος ἐπιγενομένου, καὶ τοῦ καύματος, καὶ τῆς μεταβολῆς ἐπιγενομένης, ταῦτα τὰ νοσεύματα ἐπιπίπτειν καὶ λειεντερίαι, καὶ ὕδρωπες τελευτῶσι τοῖσι νοσεύμασιν ἐπιγίγνονται· οὐ γὰρ ἀποξηραίνονται αἱ κοιλίαι ῥηϊδίως.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

TEXT. I. ETsi hæc tertia pars, vt & prima de aëre loquatur, tamen & ad perfectam instituti Hippocratici rationem necessaria fuit, & à prima longo discrimine separatur. Nam prima pars egit de aëre particulariter, quatenus ipse orienti, occidenti, septentrioni, meridiei vernaculus est: & si attigit morbos certarum tempestatum anni, de tempestatibus locutus est, quatenus suam naturalem habitudinem seruat. Hîc autem omnino contrà Hippocrates. Primum enim hic differit de aëre vniuersaliter, ostenditque vbicunque locorum reperta fuerit tempestatis à se descriptæ ratio, morbos quoque necessario tales, quales attingit, euenire. Deinde non hic disputatio est de tempestatibus anni, quatenus naturaliter se habent: sed quatenus ex commutatione, aut sunt in suarum naturalium qualitatum excessu summo, vel defectu: aut quatenus alienam prorsus naturam induerint.

II. ἢν μὲν γὰρ κατὰ λόγον γίνηται.] Hippocrates hoc loco describit annum temperatissimum, & ad eum requirit duas conditiones tantum. Prima est tempestiuarum pluuiarum. Secunda commoderationis hyemalis. Sed

tempestiuæ pluuiæ subdiuiduntur in duo membra: aliæ enim accommodantur veri, aliæ æstati & autumno. Veri quidem, ad fouendam eius benignam humiditatem, quæ plantas nutrit; æstati & autumno, ad corrigendam nimiam siccitatem. Et annus ita descriptus appellatur ab Hippocrate 2. *epid.* καθεστὼς, id est, annus ordinatus & lege naturali constitutus. Nam talis anni ver erit temperatum, simile pueritiæ, & primæ diei parti: Æstas erit similis pomeridiano tempori, & ætati virili: Autumnus similis ætati constanti, & vespertino tempori: Hyems senili ætati benè habenti, & nocti. Quam proportionem attigit Hippocrates *lib* 2. *epid.* explicuit Gal. *part.* 38. *sect.* 2. *lib. de humorib.*

τὰ σημεῖα ταῦτα.] Signa intelligit caloris, frigoris, siccitatis & humiditatis, quarum qualitatum manifestum discrimen cernitur incipientibus anni tempestatibus. Porrò Galenus hunc locum citat *aph.* 8. *lib.* 3. & legit τὰ σημεῖα ταῦτα.

οὕτω τι ἔτος.] Hippocrates *part.* 20. *sect.* 3. *lib de hum.* inquit eam esse morborum & tempestatum anni analogiam, vt ex tempestatibus facile colligatur qui morbi fiant: & ex morbis facile intelligatur qualis aër, qualis aqua, qualis tempestas. Ergo ex salutaribus morbis salutaris annus, & ex qualitatibus tempestatum alienis morbi iudicatu difficiles cognoscuntur, *ex aph.* 8. *lib.* 3.

ἢν δὲ ὁ χειμών.] Aristoteles *probl.* 8. *sect.* 1. hunc locum attingit, & problematicè quærit, cur ex hyème frigida & sicca, vere autem pluuioso & australi, excitentur æstate repentinæ febres. Sed ex hoc Hippocratico contextu talem responsionem habere possumus: Vbicunque tempestatem frigidam & siccam alia pluuiosa & australis excipiet, cui repentinus succedat æstatis ardor, necesse est fieri tria morborum genera; à putrefactione quidem in venis, febres acutas; à repletione cerebri, propter austrum, ophthalmias; & à corrupta intestinorum pituita dysenterias. III.

αὐχμηρός.] Requiri potest in Hippocrate eorum morborum, qui frigida & sicca hyeme, itemque vere calido & humido excitabuntur, enumeratio. Sed Galenus huic dubitationi satisfacit *aph.* 11. *lib.* 3. Idque duobus modis. Primum enim Hippocrates *aph.* 5. *eiusd. libri* enumerauit morbos boreales & austrinos. Secundo, quoniam frigidam & siccam hyemem excepit ver calidum & humidum, ob id veris constitutio hyemali contraria, vel morbos omnino tollebat, vel leuabat, adeo vt ægri degerent ὀρθοστάδην. i. recti essent, nec lecto se continere cogerentur.

τὸ θέρος πυρετῶδες.] Boreas, vt inquit Galenus *part.* 1. *sect.* 7. *lib.* 6. *epid.* quoniam frigidus est, materiam superfluam alia tempestate collectam effluere non sinit: proinde frigida & sicca hyems autumnales humores intrò compingebat. Succedens ver calidum & humidum, nouos humores adjiciebat, quia replebat; vnde calida & sicca æstate inflammatis humoribus excrementitiis qui parati erant ad putredinem, febres excitabantur.

καὶ ὀφθαλμίας.] Galenus *ad part.* 1. *sect.* 7. *lib.* 6. *epid.* inquit, nudum caput à calido & humido cœlo hæc duo incommoda percipere. Primum est, quod ipsum repleat, & calefactum ad aliorum humorum noxiorum attractionē impellat. Secundum, quod ipsum debilitet. Debilitatur autem præcipuè caput austrina constitutione in auditu & visu, *per aph.* 5. *lib.* 3. Visui enim caliginosi humores suggeruntur à caliginoso cœlo, per Galenum *ad part.* 8. *sect.* 1. *lib.* 1. *epid.* Igitur propter debilitatem partis suscipientis, & propter humorum abundantium calido cœlo ebullitionem, oculorum inflammationes contingere oportebat, quarum signum erat prurigo frontis, vt inquit Celsus.

ἐξαίφνης.] Non est hæc otiosa dictio apud Hippocratem. Non enim nocua est tempestatum anni alteratio, quæ fit per successionem: Nam, vt inquit Hippocrates *lib. de humoribus*; *successiones temporum morbos & faciunt & soluunt.* Sed quotiescunque in omni mutatione ista tria concurrunt, vt semel, multum & repente fiat, tum morbi excitantur, *per aph.* 51. *lib.* 2. Non assueti enim magnæ & repentinæ mutationi offenduntur necessario: ideoque monuit Hippocrates *part.* 29. *sect.* 2. *lib. de humorib.* attendendum esse maximè ex quibus & in quæ & quomodo fiant mutationes.

διπλοῦν τι καῦμα.] Duplex iste æstus Hippocratis intelligitur, non tantum exstitisse in vniuerso propter calidam & humidam à pluuiis terram, sed etiam in hoc corpore humentibus adhuc aluis, & repleto capite. Nam, vt inquit Gal. *ad part.* 8. *sect.* 1. *lib.* 1. *epidem.* animalium corpora cœli statui similem constitutionem habent. Igitur ex hoc duplicato calore in materia humida necessarium erat excitari febres putredinosas. Nam Galenus *cap.* 7. *lib.* 8. *meth. med.* inquit *naturas calidas humidas quantumuis sanas proximas esse putredini*; idque apparere ex sudoribus & vrinis, deiectione, & respiratione male olente; indeque fieri, vt si cruditate laborent, aut si pori cutis astringantur, aut à sole perurantur, grauiter febricitent.

κοιλιῶν μὴ ξυνεστηκουσῶν.] Hippocrates *prognost.* 15. *lib.* 2. appellauit deiectionem mollem & constantem διαχώρημα μαλθακὸν ἢ ξυνεστηκός. Ex qua collatione patet, hic κοιλίαν ξυνεστηκοῦσαν ventrem dici, cuius deiectio sit constans, corpulenta, & minimè diuulsa, nec liquida.

μὴ ὑπὸ πλάδου] Galenus *ad part.* 11. *sect.* 2. *lib.* 1. *epid.* πλάδον appellat superfluam humiditatem: *Ad part.* 32. *sect.* 3. *lib. de vict. acut.* eam, quæ supra id quod secundum naturam est, innascitur partibus humiditatem πλάδον vocat: *Particula* 19. *sect.* 3. *lib. de fract.* Galenus humiditatem superfluam omnem, siue ex tenuioribus, siue ex crassioribus, siue ex purulentis constet humoribus, inquit esse πλάδον. Cum igitur vernum tempus totum esset humidum & calidum, meritò dicitur supra modum humectasse corpora. Sed notatu dignum est, hunc locum citari à Galeno *ad aph.* 11. *lib.* 3. ibique legi συντήκεσθαι, quod est colliquari: Brassauolus inquit in suo exemplari scriptum fuisse φλογιᾶν, quod est humores comburi. Quæ lectiones si retineantur, referendæ erunt ad æsta-

tem: humidum enim calidumq; corpus ad repentinos æstus & magnos facile colliquatur.

μάλιστα δὲ τοῖσιν φλεγματίῃσι.] Difficultas quæ hic magna suboritur, talis est, quomodo in pituitosa natura acutissimi morbi contingant, cum hi videantur fieri à bile? Sed notandum est, morbos acutissimos considerari tribus modis. Quidam enim sunt acuti propter partem; vt apoplexia. Quidam per se, & hi dicuntur acuti morbi propriè à veloci, vehementi & periculoso humoris sui motu, vt febris ardens. Quidam ex euentu, idque quatuor modis. Nonnulli enim dicuntur morbi acuti ἐκ μεταστάσεως, cum videlicet morbus primigenius humoris sui in partem aliquam translatione in alium morbum mutatur, vt si continua febris degeneret in hydropem, cuius rei exempla sunt *prognost.* 1. 2. & 3. *lib.* 2. Alij symptomatum malignitate, vt cum dixit Hippocr. *aph.* 9. *lib.* 3. morbos acutissimos autumno fieri. Quidam propter impeditam corporis liberam perspirationem ex obstructione cutis, vt cum dixit Gal. *part.* 78. *sect.* 2. *lib.* 1. *epid.* mulieres in acutos morbos incidisse propter impeditam corporis difflationem. Cæteri dicuntur acuti propter admixtionem contrariorum humorum, vt cum dixit Hippocr. *aph.* 43. *lib* 4. semitertianas febres esse periculosissimas: hæ autem componuntur ex pari mixtione bilis & pituitæ putrentis. Dicimus igitur ex vere austrino & æstate calidissima repentina pituitosas naturas acutissimè laborasse, partim propter impeditam liberam perspirationem ex adustione cutis, partim ex admixtione bilis.

δυσεντερίας.] Manente, inquit Galenus *ad aph.* 11. *lib.* 3. corporis humidioris putredine febres excitabantur: sed si aut hæc putredo per ventrem ferretur, aut si capitis repleti humor per intestina depelleretur, necessarium fuit dysenterias succedere. Sed Philotheus *in eundem aphorismum* notat ex hac constitutione comitiales morbos, apoplexias, vertigines, caligines nasci potuisse, si caput debile excrementa depellere non potuisset. Item tusses & asthmata, si se in pulmonem exonerasset.

ὕδωρ ἐπιγένηται ἢ χειμὼν.] Pluuiæ enim cum ventis frigidioribus retundunt ardorem caniculæ, vnde cessant acutæ febres. Nam, vt notat Galenus *ad aph.* 34. *lib.* 2. si aliquis febre ardente corripiatur per æstatem, & repentina fiat cœli mutatio in frigidiorem conditionem, leuatur morbus, idque duplici de causa. Primum quidem, quia tempus in quo generatus est, morbo cognatum erat, ideoque morbus leuior: deinde quia frigiditas adueniens causa fit valetudinis. Proinde hic particula, χειμῶν, rectè explicabitur de vento frigidiore. Quod enim scripsit Aristoteles *cap.* 40. *lib.* 9. *de hist. animalium*: προσημαίνουσι δὲ καὶ χειμῶνα, καὶ ὕδωρ, Plinius *cap.* 10. *lib.* 11. *suæ hist.* sic reddidit: *prædiuinant ventos & imbres.* Et Virgilius simili ratione 1. *Æneid.* dixit, *emissam hyemem*, id est, ventos.

ἢ οἱ ἐτησίαι.] Aquilo ventus septentrionalis variis appellationibus donatur. Nam octo diebus ante caniculæ exortum flat, & appellatur tum πρόδρομος, quasi præcurrens: biduo post ortum caniculæ constanti

flatu viget; & tum dicitur ἐτησίαι, id est anniuersarius, authore Plinio *cap. 47 lib. 2.* Flat autem die, non etiam nocte. Cuius rei hæc est apud Aristotelem *cap. 5. lib. 2. meteor.* demonstratio. Corpus gelu induratum, aut calore solis nimis exsiccatum aspiratus nullos habet. Itaque cum sol est in signo solstitij, siccior est terra, quam vt exhalationes generet Etesiarum productrices: vbi autem recessit, remissior sentitur calor, & conglaciatis aquis calore liquefactis excitatur exhalatio, Etesiarum materia: & hi venti noctu non flant, quoniam nocte cessat aquarum liquatio propter solis absentiam.

τῆς δυνάμιος.] Huius totius loci interpretatio tempestatum ab Hippocrate descriptarum collationem requirit. Igitur prima primi Epidemiorum constitutio tota est australis & squalida, in qua adolescentes, iuuenes & athletæ sub ver, ante quod aquilo frigidus siccus flauerat, ex retentione excrementorum ægrotant, *part. 11. sect. 1. lib. 1.* Secunda constitutio tota est frigida humida, in qua pueri à mamma depulsi, item octennes, decennes, & ferè puberes, ob humiditatis excessum intereunt, frigidi sicci minus, *part. 40. sect. 2. lib. 1. epid.* Tertia est frigida sicca, in qua adolescentibus & adultis febres ardentes, & senioribus icteri ac dysenteriæ, *part. 66. sect. 2. lib. 1. epid.* Moriuntur autem ab acutis morbis adolescentes, iuuenes & adulti. Itemque mulieres, & quibus naturis meatus erant obstructi. *Tertio epid. lib. sect. 3.* tota est aestiua tempestas, calida humida & pestilens. In hac pueri omnes impuberes tenesmo occidunt, ob gulam & natiuam ætatis humiditatem; *part. 53.* Mulieres & omnes frigidæ ac humidæ temperaturæ, tabificæ fiunt à capitis in pulmonem destillatione, *part. 70.* Multi autem moriuntur quartana febre, propter adustam bilem febrium diuturnitate, *part. 71.* Ex hac tempestatum inter se collatione dicimus pueros, quod essent humidissimi temperamenti & calidissimi, australi putrefactioni minus restitisse, ideoque tum febre, tum dysenteria interiisse, *per part. 40. sect. 2. lib. 1. epid.* Itemque mulieres, ob impeditam perspirationem insensilem mortem obiisse, *per part. 78. sect. 2. eiusd. lib.* Seniores autem, quod essent ficciore temperie & frigidiore. Primò *per aph. 14. lib. 1.* febres minus acutas habebant. Præterea æstatis calore iuuabantur, vt melius degerent, *per aph. 18. lib. 3.* & quia sicci erant, porisque occlusis, ob cutis siccitatem, humidæ veris intemperiei facilius resistebant, *per part. 40. sect. 2. lib. 1. epid.* Qui autem superstites euadebant ab acutis febribus, bilis assatione quartanarij fiebant, *per part. 71. sect. 3. lib. 3. epid.* Ex quartana autem per scirrhum lienis hydropes fieri supra demonstratum est.

IV. ἦν δὲ ὁ χειμὼν] Vt hæc descriptio priori contraria est in hyemis verisque temperie, sic & in morborum euentu. Nam priore constitutione nulli morbi hyemales vernique effatu digni erant. In hac autem sub vernum tempus omnes excitantur morbi, scilicet abortus, quia frigus superabat antiperistasin, & ad vterum perueniebat; ophthalmiæ siccæ à biliosa materia, dysenteriæ à salsa pituita. Nam, vt notat Galenus *ad part. 5.*

part. 5. sect. 2. lib. 1 epid. Vbi tempestates anni à germana temperie plurimum degenerarint, par est è vestigio morbos excitari: vt si contingat hyemem esse clementem, quæ debet esse intemperata in frigore; & ver aquilonium, quod debuit esse temperatum.

ἄνδιος.] Manardus *epist. 2. lib. 1. & epist. 1. lib. 9.* hanc dictionem expungit, & duas affert rationes. Prima est, quoniam Corn. Celsus hunc contextum latinitate donans *cap. 2. lib. 2.* hanc dictionem non vertit. Secunda est, quod repugnantia sint atque contradicentia, annum esse australem, & tranquillum à ventis. Ad primam rationem respondetur ex simili; Corn. Celsus eodem in contextu dysenteriam non interpretatus est, hæc tamen dictio non est expungenda. Secunda ratio planè negatur. Nam scripsit Hippocrates *part. 1. sect. 3. lib. 3. epid. Annus erat austrinus, pluuiosus, penitus à ventis silens.* Quo in loco notat Galenus duplicem esse aëris clementiam. Vnam serenam, in qua cœlum vndequaque patet, nullis obsitum nubibus. Alteram mollem, in qua nubes plurimæ videntur, nec tamen sentitur vllus in ipsis aut in aëre vehementior motus. De vtraque locutus est idem Galenus *ad part. 3. sect. 3. l. 3 ep.* cum facit duplicem nothum. Vnum quidem siccum, cuius motus subinde est vehemens. Alterum autem humidum, in quo nubes tranquillæ stant. Igitur hic χειμὼν ἄνδιος dicitur hyems austrina, cuius nec nubes, nec aër vehementiorem sentiunt afflatum.

ἐκπτρώσκεσθαι.] Hyems enim tepida molle ac rarum corpus efficit, per quod statim penetrans borealis aër vernus fœtus calori assuetos offendit. Nam, vt inquit Hippocrates *in libro de natura pueri*, quotiescunque fœtus in vtero violentum aliquid perpessus fuerit, ante legitimum tempus ruptis pelliculis prodeat oportet. Galenus autem *ad aph. 12. lib. 3.* non simplicem, sed abortum fœtus iam emortui videtur intelligere. Cui consentit Aristoteles *probl. 9. sect. 1.* cum inquit corpora in matrum vteris humectata, repentino frigore syderari & mori.

ἢ τίκτωσι.] Quoniam enim fœtus ferre non potest subitam & vehementem mutationem frigoris, moriatur necesse est. Galenus enim *cap. 7. lib. 1. tuend. sanit.* inquit recens natorum cutim esse cum partibus interioribus æquè mollem; quoniam externum frigus nullum sensit, cuius est densare. Sed contra Hippocratem afferri posset mos Germanorum, qui pueros in lucem editos in flumen Rhenum mergebant: & qui fluminis frigidam ablutionem tolerare poterant, fortissimi euadebant. Cur igitur, qui fœtus non in vteris mortui sunt, vernumq; frigus superarunt, reliquum vitæ tempus cum debilitate degunt? Responsio est expedita, hos videlicet fœtus tota hyeme austrina & clementi supra modum repletos & toto corpore fuisse debilitatos, *per aph. 5. lib. 3.* adeo vt repentinæ mutationi ferendæ apti non fuerint.

ἢ ἐνλοιπα καὶ ἔρρους.] Galenus *ad part. 17. sect. 2. lib. 1. epid.* inquit duplicem esse tabem. Vnam, quæ fit proprio pulmonis affectu. Alteram, quæ fit capitis in pulmonem destillatione. Prima autem constitutione lib. 1. epid. tabes ab austro multæ vulgantur. Sed *sect. 3. lib. 3. part. 66.*

cùm hyems fuiſſet auſtrina & clemens, ſub eiuſque finem veriſque principium aquilo ſiccus erupiſſet; repletum cerebrum, ſed frigore compreſſum, humorem in partes thoracicas, aquilone debilitatas, expreſſit, idque præcipuè in hominibus natura pituitoſis contigit: vnde *part.* 71. ob collectos humores hyeme auſtrina, vernum tempus aquilonium, totum tabificum fuit: quæ eadem ratio hoc in loco valet. Quod ſi contigit homines natura bilioſos ſubtilium, acrium, & corrodentium ichorum deſtillationem eſſe perpeſſos, excitatum eſt illud tabis genus, quod ab Hippocrate *part.* 14. *ſect.* 1. *lib.* 6. *epid.* vocatur θηρίωμα, id eſt, ferinum.

ταῖς δυσπνείαις εἰκός.] Cerebrum tribus de cauſis pituitoſa habuit excrementa. Primum quidem ratione ſui, quia frigidum eſt & glanduloſum, teſte Hippocr. *in lib. de glandul.* ideoque per inania ſua ſpatia plurima collegit excrementa. Deinde ratione hyemis auſtrinæ calidæ, quæ caput replet, *per aph.* 5. *lib.* 3. Poſtremò ratione veris frigidi; nam vbi refrigeratum cerebrum alimentum omne ſubigere non poteſt, pituiteſcit: Gal. *ad aph.* 12. *lib.* 3. Pituita autem eſt triplex. Vna quidem inſipida, à retuſa frigiditate. Altera acida, ab immoderatiore frigore. Tertia ſalſa, à calore putri. Quod igitur hyems auſtrina & calida eſſet, pituita ſalſa in cerebro collecta eſt, quæ per compreſſionem veris frigidi & ſicci in ventriculum atque inteſtina expreſſa eſt atque decubuit, vnde his vlceratis facta dyſenteria.

ὀφθαλμίαι ξηραί.] Caput per calidam & humidam temperiem repletum, ſuperueniente vere frigido in oculos frigore debilitatos humorem expreſſit, & à frigida & ſicca veris conſtitutione membranis condenſatis, cum nihil reflueret, ophthalmia ſicca effecta eſt Gal. *ad aph.* 12. *lib.* 3. Nam ſcripſit Hippocrates *part.* 2. *ſect.* 7. *lib.* 6. *epid.* *Per ſqualores lippitudines vulgabantur cum dolore coniuncta;* periculum enim erat, inquit Galenus, ne ſiccitate oculi membranæ rumperentur, indeque vlcus ſuccederet. Sed *ex lib.* 2. *prorrh.* notatu dignum eſt, ophthalmicam ſiccitatem eſſe vel in oculo, vel in excremento, id eſt in ſorde. Siccitas in excremento ſemper eſt valde doloroſa. At ſiccitas in oculo duobus conſideratur modis. Vel enim eſt cum tumore magno & indolenti, & hæc ophthalmia ſolutu facilis eſt. Vel eſt cum tumore magno & dolore, & periculum eſt vlceris; qualem hic ophthalmiam par eſt intelligere.

διὰ τὴν ἀραιότητα καὶ τὴν ἔκτηξιν.] Galenus hunc locum citans & exponens *aph.* 12. *lib.* 3. ait ab Hippocrate non illos intelligi catarrhos, qui conſueto nomine vocantur, ſuntque capitis per arteriam in pulmonem fluxiones, ſed potius illas vniuerſales deſtillationes, quæ ex venis & arteriis fiunt in omnes ſubiectas partes: Et quia hæ fluxiones breui iudicantur, idcirco ſubiungit ſubitò mortem adferre, quia (vt notat Philotheus) ex nimia plenitudine vel neruis humectatis paralyſin faciunt, vel repletis & diſtentis conuulſionem, vel obſtructis carotidibus arteriis aphoniam apoplexiæ principium. Quid ſit autem in ſenibus

ἀραιότης, explicuit Gal. *part. 6. sect. 5. lib. 6. epid.* quotiescunque debilitata facultate naturali senum, vniuersa corporis eorum habitudo gracilescit, & cute nutricatu destituta rari fiunt pori, id est laxæ reperiuntur multæ in corpore cauitates inter cutem & musculosum genus. Idque probatur *ex part. 29. sect. 3. lib. 6. epid.* vbi inquit attenuatione primum laxari cutem & habitudinem corporis, deinde vbi consummata extenuatio fuerit, distendi. Erit igitur ἀραιότης partium totius corporis carnosarum, itemque vasorum, quæ ob sanguinis paucitatem parum implentur, laxitas. Est autem ἔκτηξις nihil aliud quàm humorum in vasis contentorũ fusio propter debilem retentricem facultatem. Idque probatur ex Hippocrate *lib. 2. prorrh.* qui postquam demonstrauit tophaceos humores articulorum cum aluo sicca nulla arte sanari, inquit curabiles esse à sola dysenteria quam natura excitârit, & ab aliis humorum ἐκτήξεσι, id est eliquationibus, quæ deorsum feruntur.

καὶ φρενίτιδος.] Hanc particulam καὶ φρενίτιδος esse aduentitiam patet ex Galeno *ad aph. 12. lib. 3.* Et huius rei rationes quinque afferri possunt. Prima est, quod cum hic sit mentio de morbis ab eadem causa progenitis, phrenitis & paraplegia non sint morbi generis eiusdem. Secunda, quod Aristoteles *probl. 9. sect. 1.* videatur hunc totum Hippocratis contextum ad cerebri apoplexias & siderationes referre. Tertia quod scribat Hippocrates *in libro de gland.* cerebrum nullis morbis tentari, quandiu in partes subiectas exoneratur. Quarta, quod senes de quibus hîc mentio est, non sint apti ad phrenitidem. Quinta, quod cum teste Galeno *cap. 5. lib. 2. de sympt. caus.* ab ira nemo subito perit, quia nec calor naturalis perfrigeratur, nec robur corporis dissoluitur. Hæc eadem ratio in phreniticis valere possit, qui voluntariis actionibus robustissimi sunt propter inflammatos humores, vt scribit Galenus *cap. 3. lib. 3 de sympt. caus.* Ad has rationes adiungi potest historia ægri quarti *sect. 3. lib. 3. epid.* Hic enim phreniticus cum esset, vehementissimorum symptomatum violentia tertia die mortuus est: sed inquit Galenus *in comm. In hoc exemplo rara hæc est phrenitidis historia, cum phrenitici quarto, & quinto interdum, sed frequentius septimo moriantur.*

ὁκόταν γὰρ.] Particula γὰρ, hoc loco non reddit rationem præcedentium, sed nouam sententiam orditur hoc sensu: Cerebrum, quod verno tempore per grauedines & destillationes expurgari solebat, violentia frigoris compactum atque obstructum interdum dysentericos & ophthalmicos morbos in æstatem differt. Sicque conciliabuntur Aristoteles *probl. 9.* & Gal. *aph. 12. lib. 3.* Ille enim solos abortus assignat veri, dysenterias & ophthalmias in æstatem reiicit: hic morbos omnes istos veri assignat. Sed hac sententia Hippocrates interdum in æstatem differri ostendit.

κορύζας καὶ βράγχων.] Hippocrates *in lib. de gland. & lib. de loc. in hom.* septem viis cerebrum expurgari ostendit: per aures, vnde pus; per nares, vnde coryzæ; per oculos, vnde ophthalmiæ; per palatum in guttur, vnde raucedo; per palatum in gulam, vnde dysenteria; per venas,

in spinalem medullam, vnde tabes occulta; & per venas in sanguinem & habitudinem carnosam totius corporis, indeque in ventrem, vnde hydrops. Tres primæ expurgationes appellantur ab Hippocrate *in lib. de loc. in hom.* naturales. Nam fluxio quæ fit per nares, etsi meatum quodammodo corrodit, quia tamen fit extrinsecus, & per viam amplam, bona est. Sed fluxio per guttur, quæ est βράγχος, si copiosior sit, periculum tabis adfert. Igitur his impeditis fluxionibus expurgantibus æstas cerebrũ plenum excipiens dysenterias, ophthalmias & catarrhos excitabit: quæ dysenteriæ maligni moris erunt, desinentque in lienteriam & hydropem.

λειεντερίαι.] Cum celeriter tales dejiciuntur cibi, quales assumpti sunt, hic affectus est lienteria, id est vitium ventriculi & intestinorum; eiusque tres omnino sunt causæ, facultas retentrix debilis, pituita acida, & vlceratio ab humore mordaci, vt ait Galenus *ad aph. 12. lib. 4.* Ex Hippocrate autem *lib. 1. de morbis* ea est morborum aliquot inter se metaptωsis & transmutatio, vt ex tenesmo dysenteria, ex hac lienteria, & ex lienteria contingat hydrops. Nam, postquàm dysentericus fluxus ventriculi & intestinorum facultates labefactauit; facit lienteriam: & hæc propter impedimentum distributionis alimenti in iecur, viscus ipsum refrigerat, vnde hydrops. Ista autem morborum mutua successio semper est lethalis, quoniam, vt scribit Hippocrates *in libro de affectionibus*, cum morbus alter alteri succedit, plerumque occidit. Vnde *aph. 43. lib. 6.* inquit longam dysenteriam in lienosis à lienteria vel ab hydrope excipi, sicque homines mori.

SI autem æstas pluuiosa sit, & australis, similisque sequatur autumnus, necesse est hyemem morbidam esse, & his qui pituita abundant, & qui quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est: qui verò bile abundant, costarum inflammationes & pulmonis, pleuritidas ac peripneumonias dictas. Si autem æstas sicca existat, & borealis, sequens verò autumnus pluuiosus & australis capitis dolores ad hyemem expectare conuenit, & cerebri

ΗΝ δὲ τὸ θέρος ἔπομβρον V.
γένηται, καὶ νότιον, καὶ τὸ μετόπωρον, χειμῶνα ἀνάγκη νοσερὸν εἶναι, καὶ τοῖς φλεγματίησιν, καὶ τοῖσι γεραιτέροισι τεσσαράκοντα ἐτέων, καύσους γίγνεσθαι εἰκός. τοῖσι δὲ χολώδεσιν, πλευρίτιδας καὶ περιπνευμονίας. ἢν δὲ τὸ θέρος αὐ- VI.
χμηρὸν γένηται, καὶ βόρειον. τὸ δὲ μετόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίας ἐς τὸν χειμῶνα, καὶ σφακέλους τοῦ ἐγκεφάλου

εἰκὸς γίγνεσθαι. καὶ προσέτι βράγ-
χους, καὶ κορύζας, καὶ βῆχας, ἐνίοισι
VII. δὲ καὶ φθίσιας. ἢν δὲ βόρειόν τε καὶ
ἄνυδρον, καὶ μήτε ὑπὸ κύνα ἔ-
πομβρον, μήτε ἐπὶ τῷ ἀρ-
κτούρῳ, τοῖσι μὲν φλεγματίῃσι
φύσει ξυμφέρει μάλιστα καὶ τοῖς
ὑγροῖς τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυ-
ναιξίν. τοῖσι δὲ χολώδεσι τοῦτο πο-
λεμιώτατον γίνεται. λίην γὰρ ἀναξη-
ραίνονται, καὶ ὀφθαλμίαι αὐτέ-
οισιν ἐπιγίγνονται ξηραί, καὶ πυ-
ρετοὶ ὀξέες καὶ πολυχρόνιοι, ἐνί-
οισι καὶ μελαγχολίαι. τῆς γὰρ χο-
λῆς τὸ μὲν ὑγρότατον καὶ ὑδαρέστα-
τον ἀναλοῦται, τὸ δὲ παχύτατον
καὶ δριμύτατον λείπεται. καὶ τοῦ
αἵματος κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, ἀφ'
ὧν ταῦτα νοσεύματα αὐτέοις γί-
γνεται. τοῖσι δὲ φλεγματίῃσι,
πάντα ταῦτα ἀρωγά ἐστιν. ἀπο-
ξηραίνονται γὰρ καὶ ἐς τὸν χειμῶ-
VIII. να ἀφικνέονται, ὑπ' ἄλλων ἐς
τ' ἄλλα ἀναξηραινόμενοι. κατὰ
ταῦτά τις ὁ νοεύμενος καὶ σκοπού-
μενος προειδείη ἂν τὰ πλεῖστα τῶν
μελλόντων ἔσεσθαι ἀπὸ τῶν με-
IX. ταβολέων. φυλάσσεσθαι δὲ χρὴ
μάλιστα τὰς μεταβολὰς τῶν ὡ-
ρέων τὰς μεγίστας καὶ μήτε φάρ-
μακον διδόναι ἑκόντα, μήτε καίειν,

corruptiones, ampliusque raucedines, grauedines & tusses, aliquibus etiam tabes. Quod si borealis sit autumnus ac siccus, & neque sub Cane, neque sub Arcturo pluuiosus, confert naturis pituitosis, & maxime qui natura sunt humida, & mulieribus. Biliosis autem infestissimum hoc tempus existit. Valde enim exsiccantur, acciduntque eis lippitudines aridæ, & febres acutæ & diuturnæ, & aliquibus bilis atra: siquidem quod liquidissimum ac aquosissimum in bile est consumitur, densissimum verò & acerrimum relinquitur. Quod idem accidit secundum eandem rationem & circa sanguinem, vnde hi morbi his accidunt. Pituitosis autem hæc omnia commoda sunt. Exsiccantur enim, & ad hyemem perueniunt, ab aliis temporibus inuicem succedentibus resiccati. Hæc igitur si quis mente concipiet & considerabit, is præcognoscet plurima omnino quæ ex huiusmodi mutationibus sint futura. Maxime autem obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neq; medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus

quæ circa ventrem, neque secemus, priusquam prætereant dies decem aut plures, & non pauciores. Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, & maximè æstiuum. Periculosum etiam æquinoctium vtrumque, sed maximè autumnale. Oportet autem & astrorum exortus considerare: præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum. Morbi enim in his maximè diebus iudicantur, aliique perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem aliumque statum transmutantur. Et circa hæc quidem sicut dixi, habet.

ὅτι ἐς κοιλίην, μήτε τέμνειν
πρὶν παρέλθωσιν αἱ ἡμέραι δέ-
κα ἢ καὶ πλείονες. μέγισται δὲ εἰ-
σὶν αἱ δύο. καὶ ἐπικινδυνόταται X.
ἡλίου τροπαὶ ἀμφότεραι, καὶ
μᾶλλον θεριναί. καὶ ἰσημεριναὶ,
νομιζόμεναι εἶναι ἀμφότεραι, XI.
μᾶλλον αἱ μετοπωριναί. δεῖ δὲ
καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυ-
λάσσεσθαι, καὶ μάλιστα τοῦ κυ- XII.
νός. ἔπειτα ἀρκτούρου, καὶ ἔτι
πληϊάδων δύσιν. τά τε γὰρ νοσεύ-
ματα μάλιστα ἐν ταύτῃσι τῇσιν
ἡμέρῃσι κρίνεται. καὶ τὰ μὲν ἀ-
ποφθίνει. τὰ δὲ λήγει. τὰ δ᾽ ἄλλα
πάντα μεθίσταται εἰς ἕτερον εἶ-
δος, καὶ ἑτέρην κατάστασιν. περὶ μὲν τουτέων οὕτως ἔχει.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

V. ΗΝ δὲ τὸ θέρος.] Aristoteles *probl.* 20. *sect.* 1. huius loci interpretationem orditur à diuisione corporum. Inquit igitur corporum quædam esse densa, quædam autem rara. Prima, superficie tantum extima humectari, & repentino frigore vinolentorum instar algere. Secunda verò profundioribus corporis partibus crudos humores excipere, qui hyemali tempore putrentes febres ardentes suscitant. Sed prior de corporibus densis interpretatio minùs est Hippocrate digna, cum partes extimæ ignobiliores sint, quàm vt morbos acutos generent, nisi interiores partes rapiantur in consensum, præcipuè verò caput, quod aëri magis obnoxium est.

καύσους γίνεσθαι.] Causus est duplex. Vnus verus, alter nothus. Veri duo sunt symptomata, sitis & ardor ingens totius corporis. Generaturque attractis in venulas ichoribus biliosis atque putrentibus. Excretiones habet liquidas, biliosas, meracas humoris morbum committentis. Causus autem nothus fit à pituita salsa, aut à pituita & bile mixtis, non

toto corpore, sed aliqua parte inflammatis, ideoque minor sitis. Generatur non attractis ichoribus in venulas, sed effusis in ipsas præ abundantia, ibique putrentibus. In hoc aluus interdum soluta, non excretione humoris morbum committentis, sed alimenti in ventre corruptione. Igitur æstatis & autumni austrina constitutione collectis pituitosis humoribus, quos hyems non digessit, putredo subsequens effecit febres ardentes spurias.

πλευρίτιδες καὶ περιπνευμονίαι.] Hi tres morbi, causus, pleuritis & peripneumonia, quia sunt cognati, eadem tempestate contingere potuerunt. Nam, vt scribit Hippocrates *lib.* 1. *de morb.* ex febre ardente fieri potest pleuritis, & ex pleuritide pepipneumonia, vbi videlicet ardentis febris calore thoracicus venter incaluerit, biliososque humores attraxerit.

ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρόν.] Hæc sententia descripta est *aph.* 13. *lib.* 3. nisi quod Hippocr. in aphorismis non meminit syderati cerebri. Aristoteles autem *probl.* 10. *sect.* 1. hanc sententiam ita interpretatur, vt à repletione autumni australis fiant cephalalgiæ hyemales, & si humor replens cerebrum minus frigidus sit, fiant syderationes: tussi verò & raucedini & grauedini succedat tabes, vbi videlicet copiosior materia expectorationem vniuersalem non recipit.

κεφαλαλγίαι.] Galenus *in aph.* 13. *lib.* 3. inquit à repleto per austrinum autumnum cerebro dolores capitis excitatos fuisse, non in omnibus, sed in iis quibus debilius erat caput: Nam, teste Philotheo, sicca & frigida æstas humores in capite coërcuit, autumnus austrinus auxit, hyems naturaliter constituta plethoricam affectionem capitis cumulauit. Et vt notat Gal. *ad aph.* 13. *lib.* 3. id euenit, quia hyems natura sua accommodata non est excutiendis priorum tempestatum excrementis. Sed Aristot. *probl.* 10. *sect.* 1. hanc Hippocratis cephalalgiam videtur interpretari καρηβαρεῖν, id est capitis grauiditatem, propter videlicet humorum multitudinem qui domari non possunt. Et hæc interpretatio consentit cum aph. 5. lib. 3.

σφακελισμοὶ τοῦ ἐγκεφάλου.] Scripsit Hippocrates *lib.* 2. *de morb.* Quotiescunque cerebrum fuerit supra modum calefactum, aut perfrigeratum, biliosum, aut pituitosum, id est siccatum aut humectatum, tum dicitur cerebri σφάκελος: Pauloque post Hippocrates describit affectionem cerebri, quam apoplexiam appellat, in qua caput dolet, vox perit, homo sui fit impotens. *Libro* verò 3. *de morb.* eadem symptomata repetens & eundem morbum, quem morbum *lib.* 2. apoplexiam dixerat, *lib.* 3. sphacelismum vocat; fitque in ea cerebri parte, in qua plures sunt venæ atque arteriæ. Igitur hoc loco ex autumno australi cerebrum oppletur. Si debile fuit, facilè sub hyemem apoplexiam pati potuit, & eam hic intelligit. Tamen notandum est *aph.* 50. *lib.* 7. syderatum cerebrum dictum esse, in quo inflammatio degenerabat in gangrænam, aut in vlcus pascens.

ἢν δὲ βόρειόν τε καὶ ἄνυδρον.] Aristoteles huius sententiæ duo facit pro-

blemata *sect.* 1. scilicet 11. & 12. Et inquit æstatem autumnumque boreales & siccas tempestates conferre pituitosis, quoniam contrariæ temperies ipsos ad commoderationem reuocant. Nocere verò biliosis, quoniam eorum corpore resiccato ignis igni additur. Quod autem interpres nolit has particulas boreale & siccum ad autumnum solum referri, quoniam ortus caniculæ in autumno non fiat, hoc nihil est, cum & Corn. Celsus & Galenus has particulas de autumno solo intellexerint. Et talis est sensus: Si quemadmodum æstas fuit frigida & sicca, ita & sit autumnus, adeo vt nec caniculares pluuiæ autumnum præcedentes, nec arcturi pluuiæ cum ipso incipientes eius siccitatem contemperarint, tum ista fient.

φύσει.] Galenus *ad part.* 11. *sect.* 1. *lib.* 1. *epid.* notat temperamentum esse duplex. Vnum ætatis, alterum instituti vitæ. Est autem Hippocrati institutum siue τὸ ἐπιτήδευμα, vt notat Galenus *part.* 1. *sect.* 3. *l. de humorib.* quicquid homines vel vsu, vel necessitate coacti obeunt, id est vt inquit Galenus *part.* 17. *sect. eiusd. & lib.* nihil est aliud institutum vitæ, quam diæta. Galenus quoque *lib.* 2. *temper. cap.* 4. inquit temperamentum esse duplex, vnum naturæ, alterum consuetudinis, adeo vt quicunque sint vasis amplis, atque graciles, illi sint natura biliosi: quicunque verò vasis angustis & pingues, illi sint natura frigidi & pituitosi. Contrà, qui homines vasorum amplorum pingues sunt, vitæ instituto tales sunt: & qui cum vasis angustis habent corporis habitudinem tenuem, illi diæta tales existunt. Vtriusque rei notionem tradit Hippocrates *lib.* 2. *epid. & part.* 25. *sect.* 6. *lib.* 6. *ep.* cum inquit homines, quibus capitis ossa magna sunt, esse venis, arteriis, neruisque magnis atque robustis, ac proinde natura sua calidos. Nam vt inquit Galenus *ad particul.* 3. *sect.* 1. *lib.* 6. *epid.* homines capite magno plurimum boni sanguinis ad eius conformationem habuerunt, ideoque facultatem vitalem atque naturalem fortem, ad quas venarum & arteriarum sequitur amplitudo. Igitur quicumque homines partibus solidis natura sua tenuibus atque angustis pinguem corporis habitudinem habuerunt, illi dicentur natura pituitosi.

φλεγματίαι, καὶ τοῖς ὑγροῖς.] Quos Hippocrates hic appellat pituitosos & humidos, Corn. Celsus *cap.* 1. *lib.* 2. interpretatur molles. Sunt autem molles, teste Gal. *cap.* 3. *lib.* 2. *temp.* quicunque citra excessum caloris tales sunt. Illi autem duorum generum reperiuntur. Nonnulli enim crassis humoribus & frigidis abundant, & illi dicuntur pituitosi. Nonnulli habent tenues & serosos humores, sed tamen frigidos, & illi dicuntur aquosi, id est humidi. Hæc distinctio probatur ex Hippocr. *lib.* 4. *de morb.* cum inquit humores esse quatuor, pituitam, sanguinem, bilem, & aquam. Hic enim pituitam à serositate manifestè separauit, quam aquam dixit. Sic & Hippocr. *part.* 7. *sect.* 1. *lib.* 6. *epid.* mulieres quasdam appellauit ὑδατοχρόους, id est aquosas, quarum (vt inquit Galenus *in comm.* citra vllam morbosam dispositionem sanguis est tenuis & aquosus, Erunt igitur pituitosi, qui crassos humores habebunt:

erunt

erunt humidi, qui tenuem & aquosum sanguinem. Vtrique autem natura frigidi sunt, albi & molles.

ὀφθαλμίαι ξηραὶ, πυρετοί.] Rationem hanc reddit Aristoteles *probl.* 12. *sect.* 1. quoniam ex colliquatione humorum, dum quod tenuius est euaporatur, vapor ipse vehementius incalescens ophthalmiam facit: sed quæ residua est bilis, ex siccitate ignescens, febres acutas excitat. Atque id præcipuè intelligendum sub autumni principium, quo plurimi æstiui morbi fiunt, vt scripsit Hippocr. *aph.* 22. *lib.* 3. Nec pugnat aph. 15. lib. 3. quo scribit Hippocrates siccitates imbribus esse salubriores. Nam, vt inquit Galenus *ad part* 2. *sect.* 7. *lib* 6. *epid.* hæc sententia intelligi debet de siccitate, quæ non fuerit supra modum intensa: nam quæ intensa est grauissimos morbos progignit, qualis est illa in qua æstas & autumnus sine pluuiis fuerint.

καὶ πολυχρόνιοι] Medio, vel etiam vltimo autumno, quæ febres contingent, erunt diuturnæ, præsertim in hominibus qui natura abundabunt melancholico succo. Cum enim omnis longus fiat morbus vel propter ægri peccatum, vel propter partis affectionem prauam, vel propter humoris crassitudinem: per æstatis & autumni siccitatem euaporatis tenuioribus humoribus, qui crassi & frigidi remanebunt in homine melancholico, febres diuturnas efficient, tam ratione sui, quam ratione tempestatis. Et par est hic per febres longas quartanas intelligere. Primum enim quartanæ autumnales, & maximè quæ hyemem attingunt, longæ sunt. Deinde cum ex Galeno *ad aph.* 22. *lib.* 3. duplex sit melancholici humoris generatio, vna ex bile flaua retorrida, altera ex melancholico sanguine refrigerato atque resiccato; prima facit febres quartanas minus longas, propter humoris dominantis acrimoniam; secunda vero longissimas. De quartanis à melancholico humore per bilem assatam generato, dixit Hippocrates *part.* 21. *sect.* 6. *lib.* 6. *epid.* *Quartana vltra annum non durat*: de secunda dixit *aphorism.* 25. *lib.* 2. *Quartanas autumnales quæ hyemem attingunt, esse longissimas.*

καὶ μελαγχολίαι.] Melancholia mentis est alienatio citra febrem, sine ferocia, cum timore atque tristitia. Fitque Aristot. teste *probl.* 12. *sect.* 1. in his hominibus, quorum temperamentum vergit ad atram bilem, per subtilioris & aquosioris humoris euaporationem: tum enim quod residuum est, siccius atque frigidius, vbi cerebri temperiem peruerterit, melancholiam faciet: de qua, ex sententia Galeni *cap.* 7. *lib.* 3. *locor. affect.* ita statuendum. Duplex est atra bilis, vna tenuioris substantiæ, acidæ, corrodentis & terram fermentantis, quæ fit à flaua bile superassata, & hæc si in cerebro putruerit, & cum febre fuerit, phrenitidem gignet: si citra febrem, maniam. Altera est veluti sanguinis fæx, fæci vini non absimilis, quæ cerebrum oppugnat duobus modis; scilicet vel vt partem similarem, eius alterata temperie, vnde melancholia; vel vt organicam in neruorum principio obstructione facta, vnde epilepsia. Et est quod dicebat Hippocrates *part.* 54. *sect.* 8. *lib.* 6. *epid.* *Ab atra*

bile si in cerebri corpus sæuiret, epilepsiam fieri; melancholiam verò si in mentem, id est cerebri temperiem. Fit autem hoc rursum duobus modis; vel quia totus sanguis est melancholicus, vel quia talis in cerebro genitus. Hoc item rursum duobus modis; per πρωτοπάθειαν, cum primariò citra alterius partis vitium cerebrum laborat; & per δευτεροπάθειαν, cum humor alibi corruptus per μετάστασιν in cerebrum translatus fuerit, vt in melancholia hypochondriaca. Toto habitu melancholici cognoscuntur, si macri, si hirsuti, si nigri. Cum igitur Hippocrates hic æstatem & autumnum frigidas & siccas tempestates statuat, verisimile est vniuersalis totius sanguinis in frigidius commutatione melancholicas affectiones extitisse.

τῆς δὲ χολῆς τὸ μὲν ὑγρότατον.] Sic Aristoteles *probl. 12. sect. 1.* hanc Hippocratis rationem expendit, vt velit tres esse substantias quæ exsiccentur: vaporosam vnam, vnde ophthalmiæ; biliosam alteram, vnde febres acutæ; fæculentam tertiam, vnde febres longæ & melancholiæ. Quod autem Hippocrates appellauit ὑγρότατον, Aristoteles interpretatur γλυκύτατον. Atque id consentit cum disputatione de aqua pluuia. Quicquid enim in re aliqua tenuius, illud idem dulcius.

κόρυζαι.] In contextu, qui huic ex Galeno *ad aph. 14. lib. 3.* subiungi debet, legitur κόρυζαι, pro qua dictione omnes interpretes reponi volunt χρονικοί, vt res ad febres longas referatur. Philotheus tamen Hippocratis Græcus interpres in aphorismos, dictionem retinet, & longæ coryzæ hanc rationem adfert, quod per intensam & longam duarum tempestatum siccitatem, peruersa cerebri temperie, eius alimentum ad ossa ethmoïdea tendit, & coryzam facit.

VIII. κατὰ ταῦτα] Hippocrates in hoc de aëribus libro, quinque tempestatum inter se comparatarum exempla posuit, ex quibus nos cæteras omnes comparationes facere possemus. Eæ autem sunt omnino sexdecim. Nam singularum tempestatum binarum comparationes secundum oppositionem qualitatum duæ consurgunt, & totidem secundum earumdem inter se similitudinem. Vt si hyems frigida sicca, ver pluuiosum & australe: Aut si hyems pluuiosa & australis, ver frigidum siccum; hæ sunt combinationes per oppositionem. Si hyems frigida sicca, ver frigidum & siccum: Et si hyems australis & humida, ver australe & humidum; duæ sunt combinationes per conuenientiam qualitatum inter se. Hoc idem de vere & æstate, de æstate & autumno, de autumno & hyeme fieri potest.

IX. φυλάσσεσθαι δὲ χρὴ μάλιστα τάς.] Magna mutatio apud Hippocratem reperitur triplex. Vna in morborum paroxysmis grauioribus, de qua locutus est *aph. 29. & 30. sect. 2.* in quibus aphorismis iubet tunc temporis esse quiescendum. Altera est in diæta, vt cum qui cibum bis assueuit sumere, semel tantum capit, de qua locutus est Hippocrates *part. 20. sect. 1. lib. de victu acutorum, & libro de veteri medicina,* itemque *particula 29. sect. 2. lib. de humorib.* Tertia est penes aërem & ventos, cum tempestatum anni temperies vel plurimum alteratur, vel peruertitur.

Omnes autem hæ mutationes quoniam corpora non aſſueta excipiunt, idcirco vires proſternunt. Itaque hoc loco Hippocrates in magnis & repentinis mutationibus vetat, ne magna medicæ artis opera tria, purgationem, vſtionem, ſectionem vſurpemus.

φαρμάκων διδόναι ἑκόντα.] Hippocrates *in epiſtola ad Crateuam*, inter omnes purgationes elleborum præcipuè commendat, quod cum humores corporis impensè moueat, periculo non caret, ſi tunc per magnas mutationes prius debilitatum fuerit. Quod igitur hic præcipit, conſentit cum aph. 5. lib. 4. *purgationes ante canem & ſub cane eſſe periculoſas.* Huius aphoriſmi maior interpretatio petitur ex Hippocratis lib. de medic. purgant. cum inquit totos quinquaginta caniculæ dies à purgatione abſtinendum eſſe. Sed particula *ἑκόντα*, quæ reſpicit Medicum non eſt otioſa. Vetat enim Hippocrates, ne Medicus pharmacum propinet, niſi coactus. Cogitur autem vbi materia turget, id eſt in omnem corporis partem rapitur: tunc enim *per aph.* 10. *lib.* 4. eodem die purgare oportet, & differre in talibus malum eſt. Quod autem dicitur de mutatione aëris, illud idem de magnis mutationibus, quæ contingunt in morbis, intellige: Nam, Hippocrates *lib.* 5. *epid.* in febribus purgandum eſſe non cenſet, niſi cum calores mitiſſimi fuerint: Et Galenus *ad aph.* 29. *ſect.* 2. purgationem, vel ſanguinis miſſionem in vigore morbi adminiſtrandam non putat.

μήτε καίειν, ὅτι ἐς κοιλίην.] Galenus *ad part.* 3. *ſect.* 2. *lib.* 6. *epid.* ait eos humores, qui propter malignitatem ſuam, vel propter membri imbecillitatem coqui non poſſunt, ſcarificatione educendos, aut ſiccantiſſimis medicamentis conſumendos. Gal. *in introductorio c.* 18. inquit humores qui membra depaſcuntur, fluxiones oculorũ maximas, tabidos, lienoſos, propter ſummam abundantiam pituitæ humero luxatos, eſſe vrendos. Gal. *ad part.* 5. *ſect.* 6. *lib.* 6. *epid.* inquit vſtionem eſſe peſſimorum ſuccorum, adhiberiq; locis malè affectis, aut per vſtoriũ medicamentum, aut candens ferrũ. Quibus ex auctoritatibus colligitur, quatuor eſſe vſtionis cauſas, malignitatem humorum, abundantiam inſuperabilem, fluxionis perennitatem, & partis debilitatẽ. Vrit autem Hippocrates *aph.* 45. *lib.* 7. eos quibus eſt purulentum iecur, ſi inter ipſius parenchyma & tunicam vomica contineatur. Fitque vſtio paulo ſupra iecur, vt volunt Arabes; ne ſi in intima iecoris parte fiat, pus vniuerſum effluat & mors ſequatur. Vritur iſchias, ob nimiam pituitam, *aph.* 60. *lib.* 6. idque fit lino crudo apud Hippocratem *in libro de affect.* Sed *aphoriſmo* 27. *lib.* 6. vruntur empyj & hydropici. Illi, ob puris abundantiam & difficilem reſpirationem. Hi ob aquas quæ exitum non habent. Fitque vſtio Hipp. *lib. de affect. intern.* fuſis buxeis in feruens oleum intinctis, Paulo vero oliuariis. Hippocratis tamen hoc generale præceptum eſt eodem in libro, vt carnea vrantur ferro, oſſea verò & neruoſa omnia fungo. Adminiſtratur autem empyorum vſtio ſic, vt ad carotidas duæ imprimantur cruſtæ, ad clauicularum commiſſuram ſupra os xiphoides, vna. Tum perpende qua parte pus ſui dat ſignifica-

tionem, quod cognoſcitur pondere. Et hac parte inter tertiam & quartam coſtas, itemque quintam & ſextam cauterium imprime. Sed optandum, ait Hippocrates *lib. 3. de morbis*, vt pus det ſignificationem ſuipotius in ſiniſtra parte quàm dextra, quia quo dextra validior eſt, eo morbus eius eſt grauior. Tum ſenſim pus educendum per duodecim dies. Poſt duodecimum quicquid reliqui fuerit, euacuandum inquit Hippocrates 3. *de morb.* Hydropicos autem idem *in lib. de locis in homine* circa vmbilicum vrit.

μήτε τέμνειν.] Galenus *ad part. 5. ſect. 6. lib. 6. epid.* inquit. *Vbi pragreſſis magnis inflammationibus pus erit plurimum, confert ſectio.* Sed & in vſtione & in ſectione hæc ſemper obſeruanda ſunt, vt & vires valeant, & materiæ ſenſim non vniuerſim fiat euacuatio. Secantur autem empyi acuto telo inter quintam & ſextam vertebram, vel inter tertiam & quartam coſtas, idque ſubobliquè, ne pus vniuerſim effluat, aut aër interiora petens vitalem calorem offendat. Secantur item hydropici à Paulo Ægineta *cap. 50. lib. 6.* hoc modo. Si hydrops eſt à debilitate ventriculi, & inteſtinorum, tribus digitis infra vmbilicum recta linea ſecandum eſt. Quod ſi hydrops ſit à liene, ſecandum in dextra; ſi ab hepate, ſecandum in ſiniſtra, ſemper ad latus vmbilici tribus digitis infra. Quia nunquam ſectio eſt facienda in eo latere, in quod æger decumbit, ſemper autem decumbit in ægrum. Sed bonum eſt ægrum quem ſecas, ſtare, aut certè ſedere. Si neutrum poteſt, abſtinendum à paracenteſi. Deprimes autem antequam ſeces, omnes aquas deorſum ad pectinem. Depreſſis aquis cutem ad ſuperiora trahes, tum ſecabis ad peritonæum vſque. Ad quod cum perueneris, ipſum obliquè paulo ſupra perforabis. Sed Hippocrates *in libro de affect. intern.* meminit cuiuſdam hydropis ab aquarum pectoris in ventrem tranſlatione, in quo ſupra tertiam coſtam notham ſecat, tum terebra ipſam cõſtam perforat, & lino crudo vulnus obducit, ſenſimque aquas extrahit. Galenus autem *ad part. 12. ſect. 7. lib. 6. epid.* vetat, ne interiorum partium aliquam offendas, néve ad partes imi ventris paracenteſin adhibeas, ne pus vniuerſim effluat. Præcipiuntque Arabes, vt tantillum aquæ retineamus intus, & hoc diæta aut medicamentis hydragogis euacuemus.

αἱ ἡμέραι δέκα.] Non repugnat hoc cum eo Hippocratis *part. 11. ſect. 7. lib. 6. epid. Aqua inter cutem correptos ſtatim incidere conuenit, tabidoſque ſtatim vrere, & item caput ſtatim ſecare.* Nam quid ſit apud Hippocratem αὐτίκα, docet Galenus *cap. 7. lib. 1. criſeῶν*, quod quemadmodum principij nullum eſt determinatum tempus, ſed quandiu crudus eſt morbus, tandiu principium dicitur: ſic etiam nullum eſt tempus definitum aduerbij αὐτίκα. Quo tamen innuit Hippocrates, vt viribus adhuc ægri conſtantibus, antequam humor ad ipſas partes permeet, ſecemus. Sed cur diem decimum determinauit, cum ex Galeno *ad part. 14. ſect. 3. lib. 1. epid.* non ſit decimus dies vllo modo decretorius, nec indicatorius, quia nec ex quaternario, nec ex ſeptenario ſit, & vt inquit

Galenus *cap.5.lib.1.de diebus decretoriis*, mala crisis in 8. vel 10. incidit: ideoque Galenus *ad ægrum primum sect.1. lib.3.epid.* vbi scribitur *decimo die indicatus est*, corrigit *vndecimo?* Hippocrates hic rationem habet cursus solaris, qui fit per decadas; non autem morbi, qui fit per septimanas.

καὶ ἐπιτνδιωσάντων ἡλίου τροπαί.] Ex Plinio *cap.25.lib.18.* solstitium hybernum, quod dicitur *bruma*, fit 8. Calend. Ianuar. i. 25. Decembr. Et solstitium æstiuum fit 8. Calendas Iulias, id est, vigesima quarta Iunij. Aëtius autem *tetrab. prima, sermone 3. cap. 164.* solstitium hybernum ponit 23. Decembris, æstiuum autem 25. Iunij. Sed nunc solstitium hybernum fit circa Idus Decembris, id est, circa decimam tertiam; & solstitium æstiuum circa Idus Iunij, id est, circa duodecimam. Et huius varietatis ista ratio est, quod anno assignemus 365. dies & 6. horas, cum sint tantum 5. horæ, 49. minutæ, & 16. secundæ, adeo vt addamus anno 10. minutas, & 44. secundas. Quod spatium si augeas per 1574. annos, reperies additos esse dies 11. horas 20 minutas 37. & secundas 36. Quo fit, vt dies 11. supra numerum Plinianum accipiendi sint ad determinanda solstitia, itemque æquinoctia. X.

ἐπιτνδιωσάντων.] Vult Aristoteles *probl.26.sect.1.* centum diebus à solstitiis homines maximè mori, quia tum augentur calores & frigora. Cum enim in solstitio hyberno radij solares maximè sint obliqui, frigora maxima esse possunt per priuationem caloris. Sed ab eo tempore incipit ad nos accedere, & accedens robustior factus exhalationes excitat, ventorum materias; vnde ventis frigidis flantibus duplicatur frigus, tum vi flatus, tum solis longinquitate. Contra, in solstitio æstiuo radij solares sunt ad nos recti, ideoque propter refractionem calidissimi, & quia exhalationes, ventorum materias, consumunt & digerunt; vnde quies à ventis calori dat incrementum. Cuius vtriusque rei demonstrationem desumere possumus *ex probl.11. & 62.sect.26.* Fit igitur, inquit Aristoteles *probl 25.sect.1.* vt qui hyeme ægrotant, moriantur in solstitio. Sed plures excitantur morbi, iique acuti solstitio æstiuo, tum propter aëris dispositionem, & humoris in corpore dominationem.

ἰσημεριαί.] Aëtio *tetrab. 1. serm. 3. cap. 164.* æquinoctium vernum ponitur 23. Martij, 10. Calend. April. Et tum ait maximam esse aëris turbationẽ. 25. Septembris. i. septimo Calend. Octobr. æquinoctium autũmnale ponit, & tres dies ante ipsum maximam contendit esse aëris mutationem. Eandem supputationem sequitur Plinius *nat. hist. lib. 18. cap. 26.* Nunc quia sequenda est eadem ratio dierum, qui à tot annis additi fuerunt, erit æquinoctium vernum decima die Martij, & autumnale 10. Septemb. etsi tamen Steua *in 2.epidem.* Calend. Martiis veris principium & æquinoctium ponat. Aristoteles autem *probl. 27. sect.1.* inquit vere & autumno morbos excitari, propter mutationes quæ contingunt. Sed morbi vernales fiunt magis per μετάστασιν, non

Dictabat hæc Autor anno 1574. ante correctionẽ Kalendarij factã à Gregorio XIII. summo Põtif. anno 1582.

symptomaticam, sed criticam; quoniam humores praui à profundo corporis ad cutim reuocantur. Morbi autem autumnales sunt lethaliores, quoniam deterior humor dominatur, scilicet atra bilis ex flaua genita, quia vires sunt debiles, quia symptomatica fit metaptosis à circumferentia ad centrum, & quoniam autumni in frigore & calore inæqualitas humorum perturbationem adfert.

XI. Αἱ δὲ ἐκ τῶν ἄστρων.] Hip. hoc contextu tria tantum declarat; principiũ autumni, quod designatur per Arcturi ortum; principium hyemis, quod per occasum Pleïadum; & principium secundæ partis æstatis, quæ dicitur ὥρα, significatur per exortum Canis. Hic itaque duo videntur deesse, principium veris, & principium æstatis. Principium veris omissum non est, quia continetur sub æquinoctio verno, de quo supra. Cur igitur omissum est æstatis principium? Hippocratis consilium est determinare eas anni partes, in quibus magnæ mutationes fiunt, & proinde morbi magni. Sed teste Aët. *tetrab* 1. *serm*. 3. *cap*. 164. in ortu Pleïadum mitescit aër, quia principium æstatis ad naturam veris accedit, proinde non fuit hic opus ortum Pleïadum numerare.

τὰς ἐπιτολάς.] Plinius determinans quatuor anni tempestates inquit, Vergilias oriri 6. Id. Maias (1.10. Maij.) & hoc est principium æstatis. Canis autem oritur 15. Cal. Augusti; (1.18. Iulij) & hoc est principium ὀπώρας. Arcturus oritur 15. dies ante æquinoctium autumnale; & hoc est principium autumni. Pleïades occidunt 3. Id. Nouemb. (id est, 11. Nouemb.) & hoc est principium hyemis. Æquinoctium vernum fit 4. Id. Mart. (1.10. Martij.) & hoc est principium veris. Plin. *cap*. 47. *lib*. 2. Aëtius autem ortum Canis facit 19. Iulij, ortum Arcturi 17. Septemb. occasum Pleiadum 16. Nouemb. ortum vero earundem 7. Maij, quemadmodum æquinoctium vernum 23. Martij. Sed Petrus Iacobus Steua *præfatione in* 2. *epidem*. de his omnibus ita determinat, prout nunc se habent ortus & occasus. Igitur oriuntur Pleïades 8. Cal. Maias (1.24. April.) & tum æstas. Oritur Canis 18. Calend. Iulias (1. 14 Iunij) & hic principium ὀπώρας. Oritur Arcturus in hoc nostro septimo climate pridie Id. Septemb. (1.12. Septemb.) & hoc principium autumni. Occidunt Vergiliæ 4. Idus Nouemb. (1. 10. Nouemb.)

μάλιστα τὸ κυνός.] Plinius *cap*. 28. *lib*. 18. inquit tantam esse caniculæ in hæc inferiora potestatem, vt maria subuertat, terras exsiccet, feras & varia animantium genera opprimat. Aëtius *tetrab*. 1. *serm*. 3. *c*. 164. inquit oriente cane magnas aëris perturbationes excitari. Sed notandum est in tempestate caniculari duo esse signorum genera. Vnum appellatur προκύων, id est, anticanis; alterum autem κύων, id est, canis. Ille duabus stellis constans splendidissimis, & sub signo Geminorum situs magis aquilonius est, & ad nostrum hemisphęrium propius attinet, ideoque tres dies ante canem oritur. Hic magis est australis, vt cuius pedes Argo naui innitantur, proindeque posterius elucet. Ha-

bet autem in medio ore micantiſſimam ſtellam, quæ de nomine ſigni totius appellatur Canis, alioque nomine σείριος, propterea quod omnia σείρει, id eſt, comburit & exſiccat. Ex quo patet error Fuchſij in aphoriſmos Hippocratis, qui Sirium & Procyonem confundit.

ἐπιτολὴ ἀρκτούρου. Aëtius loco ſuperius citato inquit poſtridie ab Arcturi ortu aërem immutari. Et Plinius *lib.* 18. *cap.* 28. ait Arcturi exortu fieri tempeſtates, id eſt, procelloſas grandines, vt idem ait *cap.* 39. *lib.* 2. Notat autem Galenus *part.* 2. *ſect.* 2. *lib.* 1. *epid.* occaſus Arcturi nunquam Hippocratem meminiſſe, vnamque huius ſigni eſſe ſignificationem, qua autumni principium denotatur.

καὶ ἐπὶ πλειάδων.] Pleïades in cauda Tauri ſunt, cuius occaſu, inquit Aëtius, miteſcit aër, quia aër hybernus minus periculoſus eſt autumnali. Quia tamen iſta tempeſtas ad frigidiorem temperiem ſpectat, ideoque morbos longiores producit, idcirco inter magnas mutationes adhiberi debuit. Sed Galenus *ad part.* 2. *ſect.* 2. *lib.* 1. *epid.* inquit duplicem eſſe Pleïadum apud Hippocratem ſignificationem; vnam ortus, qua æſtas; alteram occaſus, qua hyems deſignatur. XII.

ταῦτα γὰρ νοσήματα μάλιστα.] Rationem reddit Hippocrates, cur æquinoctia, ſolſtitia, ortuſque aſtrorum conſideranda ſunt, quòd in his videlicet morbi iudicentur. Sed quoniam Galeno criſis eſt duplex; perfecta vna ad ſalutem, quæ fit viribus conſtantibus, humore cocto, & meatibus ad excretionem liberis; altera ad mortem, quæ fit cum excretione ſymptomatica, id eſt, quam ſequitur virium exolutio & mors: vt ſi pleuriticus alui profluuio laboret. Notanda Gal. de temporũ commutatione diſtinctio *aph.* 1. *lib.* 3. Fit igitur vna per διαδοχὴν, cum naturaliter tempeſtas tẽpeſtati ſuccedit: & hæc non magis morbos facit, quam ſoluit, ſic enim morbi hyemales æſtate ſoluuntur. Altera fit per ἀλλοίωσιν, id eſt, temperamenti vel alterationem, vel peruerſionem, & hæc præcipuè morbos facit atque interficit. Vtramque hic Hippocrates intelligit μεταβολὴν, & eam præcipit eſſe conſiderandam.

κρίνεται, ἀποφθίνει, λήγει, εἰς ἕτερον εἶδος μεθίσταται.] Hippocrates his quatuor verbis, nempe *indicandi, corrumpendi, ſoluendi, & in aliam formam degenerandi,* omnes mortis ſalutiſque ſpecies comprehendit. Nam ex Galeno *cap.* 7. *lib.* 3. κρισίμων; quicunque ſaluus euadit, vel id aſſequitur per criſim perfectam, quæ fit excretione; vel per imperfectam, quæ fit abſceſſu; vel per diuturnam morbi coctionem. Omnes autem homines moriuntur quatuor modis, vel criſi perfecta, id eſt, cùm excretione ſymptomatica; vel imperfecta, id eſt, abſceſſu ſymptomatico (qui talis eſt, vel quia non fit κατ' ἴξιν, vel quia non die critico, vel quia non ſufficienti quantitate; vel quia in partem nobilem, vt ſi ex peripneumonia fiat phrenitis) vel maraſmo, cum ſenſim æger inclinat ad mortem, vel morte repentina, vt qui cito vehementer, & ſine cauſa animo linquũtur. Prima via ſalutis & mortis continetur ſub verbo κρίνειν, *indicandi.* Secunda via ſalutis & mortis ſub verbo *in aliam ſpeciem degenerandi.* Tertia ſpecies ſalutis ſub verbo *deſinendi* (nam λήγειν apud

Hippocratem vt & παύειν, ſemper pro ſolutione in bonam partem accipitur. Tertia ſpecies mortis, quæ fit per maraſmum, continetur ſub verbo *corrumpendi.*

ἀποφθίνει, λήγει.] Omnis criſis quæ fit per abſceſſum, ſi eſt habitura ſalutarem ſolutionem, aut habet virium robur cum materiæ contumacia coniunctum, aut virium debilitatem cum materiæ ἐνδείᾳ, & hæc duo intellige per verbum λήγει. Omnis autem criſis per abſceſſum ad mortem, aut habet virium debilitatem cum materiæ contumacia, & tum fit corruptio; aut vias minimè liberas, aut partem nobiliorem occupat. Primum modum, corruptionis videlicet, comprehendit ſub verbo ἀποφθίνει.

μεθίσταται ἐς ἕτερον εἶδος.] Nota morbi in alium morbum degenerationem fieri duobus modis, vel per διαδοχὴν, vel per μετάπτωσιν. Prima eſt ſalutaris, fitque tribus modis; ab interioribus ad exteriora, vt exanthemata verna; à ſuperioribus ad inferiora, vt cum materia cerebri expurgatur per grauedinem, aut melancholia morbus per hæmorrhoïdes; tertia fit à nobilioribus ad ignobiliora, vt bubonis inguinum. Secunda eſt, cum ad perniciem contrario modo fiunt abſceſſus. Notabis tamen apud Hippocratem *6. epid.* μετάστασιν generaliter accipi pro omni abſceſſu. Sed ad faciliorem huius loci interpretationem notanda tria ſunt. Primum eſt, quod ſcribitur ab Hippocrate *part. 28. ſect. 2. lib. 6. epid.* nempe notandas eſſe hypochondriorum διαδέξιας, id eſt, humorum ab vno hypochondrio in aliud receptiones: Nam ſi ab hepate in lienem fiant, dicuntur ſalutares: ſi à liene in iecur, periculoſæ. Neque ſolum conſiderandum eſt, qui morbi ex quibus fiant, ſed etiam quæ partes à quibus excipiant. Secundum quod notandum venit, eſt quod ſcribitur ab Hippocrate *particula 8. ſect. 6. lib. 6. epid. Pro quibus qui morbi.* Nam morbus degenerat in alium, vel mutatione humoris, vt ſi propter aduſtionem flauæ bilis atra conſurgat; & ſic ex tertiana quartana fiat. Vel mutatione partis in aliam, vt ſi pleuritidis materia in pulmonem tranſmiſſa fiat peripneumonia; vel exolutione virium, vt ſi ex phrenitide fiat lethargus. Tertium quod notandum, eſt quod ſcribit Galenus *ad part. 68. ſect. 4. lib. de victu acut.* aliud eſſe ἀπόστασιν, & aliud μετάστασιν. Illa enim facto abſceſſu ab omni moleſtia ægrum liberat. Hæc nouarum acceſſionum, & noui morbi renouationem facit, ad cuius coctionem tempus requiritur.

ΙΠΠΟ-

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ
ΠΕΡΙ ΑΕΡΩΝ, ΥΔΑΤΩΝ, ΤΟΠΩΝ,

Τέταρτον μέρος περὶ χωρέων.

HIPPOCRATIS
LIBRI DE AERIBVS, AQVIS, ET LOCIS;

Pars quarta, quæ eſt de regionibus.

Βούλομαι δὲ περὶ τῆς Ἀσίης καὶ τῆς Εὐρώπης δεῖξαι, ὁκόσον διαφέρουσιν ἀλλήλων ἐς τὰ πάντα, καὶ περὶ τῶν ἐθνῶν τῆς μορφῆς τι διαλλάσσει, καὶ μηδὲν ἔοικεν ἀλλήλοισι. περὶ μὲν οὖν ἁπάντων πολὺς ἂν εἴη λόγος. περὶ δὲ τῶν μεγίστων, καὶ

Volo autem & de Aſia & Europa demonſtrare, quantum differant inter ſe per omnia, & de gentium formis quid diſtent, & nihil inuicem ſimile habeant. Verum de omnibus ſi quis dicere velit, in immenſum excreſceret ſermo; quare de maxi-

mis & plurimum differentibus diuersitatibus dicam, quantum saltem mihi in ea re est compertum. Ac dico quidem plurimum differre Asiam ab Europa secundum naturas omnium ex terra nascentium, itemque hominum. Longè enim pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia. Estque regio ipsa hac nostra multo mansuetior: sunt etiam hominum mores benigniores & cultiores. Causa vero horum est, temporum anni temperata mistura. Siquidem in medio solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate ac caliditate omni remotior. Incrementum autem & benignitatem inde proficisci omnibus in confesso est, quum nihil sit præcellens & cogēs violéter, sed per omnia æqualitas vigeat: quanquam non habeant vbique per omnem Asiam omnia secundum eundem modum. Quæcunque enim in ea regio in medio sita est calidique & frigidi, ea omnium fertilissima existit, & arboribus refertissima, & maximè serena, aquisque vtitur & cœlestibus, & ex terra promanantibus. Neque enim à calore combusta est valdè, neque à squalore & aquarum inopia exsiccatur,

πλεῖστον διαφερόντων, ἐρέω ὥς
μοι δοκέει ἔχειν. τὴν Ἀσίην πλεῖ-
στον διαφέρειν φημὶ τῆς Εὐρώ- Tex. II.
πης, ἐς τὰς φύσιας τῶν ξυμπάν-
των τῶν τε ἐκ τῆς γῆς φυομέ-
νων, καὶ τῶν ἀνθρώπων. πολὺ γὰρ
καλλίονα καὶ μείζονα πάντα γί-
γνεται ἐν τῇ Ἀσίῃ· ἥτε χώρη τῆς
χώρης ἡμερωτέρη, καὶ τὰ ἤθεα
τῶν ἀνθρώπων ἠπιώτερα καὶ
εὐεργότερα· τὸ δὲ αἴτιον τουτέων Text. III.
ἡ κρῆσις τῶν ὡρέων, ὅτι τοῦ ἡ-
λίου ἐν μέσῳ τῶν ἀνατολῶν κεῖ-
ται πρὸς τὴν ἠῶ, τοῦ τε ψυχροῦ
πορρωτέρω. τὴν δὲ αὔξησιν καὶ
ἡμερότητα παρέχει πλεῖστον ἁπάν-
των, ὁκόταν μηδὲν ἢ ἐπικρα-
τέον βιαίως, ἀλλὰ παντὸς ἰσο-
μοιρίη δυναστεύῃ· ἔχει δὲ κατὰ
τὴν Ἀσίην οὐ πανταχῇ ὁμοίως. Text. IV.
ἀλλ' ὅση μὲν τῆς χώρης ἐν μέ-
σῳ κεῖται τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυ-
χροῦ, αὕτη μὲν εὐκαρποτάτη ἐ-
στὶν, καὶ εὐδενδροτάτη, καὶ εὐδιε-
στάτη, καὶ ὕδασι μάλιστα κέχρη-
ται, τοῖσί τε οὐρανίοισιν, καὶ τοῖσιν
ἐκ τῆς γῆς. οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ θερ-
μοῦ ἐκκέκαυται λίην, οὔτε ἀπὸ αὐ-
χμῶν καὶ ἀνυδρίης ἀναξηραίνεται,

οὔτε ὑπὸ ψύχεος βεβιασμένη. νοτία τε καὶ διάβροχός ἐστιν, ὑπό τε ὄμβρων πόλλων καὶ χιό-
TEXT. V. νος. τάτε ὡραῖα αὐτόθι πολλὰ εἰκὸς γίνεσθαι, ὁκόσα τε ἀπὸ σπερμάτων, καὶ ὁκόσα αὐτὴ ἡ γῆ ἀναδιδοῖ φυτά. ὧν τοῖσι καρποῖσι χρέονται ἄνθρωποι, ἡμεροῦντες ἐξ ἀγρίων, καὶ εἰς
TEXT. VI. ἐπιτήδειον μεταφυτεύοντες. τάτε ἐντρεφόμενα κτήνεα εὐθηνεῖν εἰκὸς καὶ μάλιστα, τίκτειν τε πυ-
TEXT. VII. κνότατα, καὶ ἐκτρέφειν κάλλιστα. τούς τε ἀνθρώπους εὐτραφέας εἶναι, καὶ τὰ εἴδεα καλλίστους, καὶ μεγέθη μεγίστους καὶ ἥκιστα διαφόρους ἐς τάτε εἴδεα αὐτῶν, καὶ
TEXT. VIII. τὰ μεγέθεα, καὶ τὰς φωνάς. εἰκός τε τὴν χώρην ταύτην τῷ προσηγγύτατα εἶναι κατὰ τὴν φύσιν,
IX. καὶ τὴν μετριότητα τῶν ὡρέων. τὸ δὲ ἀνδρεῖον, καὶ τὸ ἀταλαίπωρον, καὶ τὸ ἔμπονον, καὶ τὸ θυμοειδὲς, οὐκ ἂν δύναιτο ἐν τοιαύτῃ φύ-
X. σει ἐγγίνεσθαι. μήτε ὁμοφύλου, μήτε ἀλλοφύλου. ἀλλὰ τὴν ἡδονὴν κρατέειν, διότι πολύμορφα
XII. γίνεται τὰ ἐν τοῖς θηρίοις. περὶ μὲν οὖν Αἰγυπτίων, καὶ Λιβύων, οὕ-

neque à frigore oblæditur. Verum austris perflatur & irrigua est, tum propter imbres multos, tum propter niues. Fructus autem suo tempore maturos multos in ea nasci par est, siue ex sparsis seminibus hi proueniant, siue terra ipsa per se sponte producat eorum plantas, quarũ fructibus vtuntur homines, eas ex agrestibus cicures & domesticas facientes, & pro commoditate sua transplantantes. Pecora etiam ipsa pleniora proueniunt, quæ & pariunt sæpius & pulcherrimè educantur. Quin & homines habitiores esse, ac specie pulcherrimos, & magnitudinis eximiæ, miniméque differentes, quantum ad formam corporum, proceritatem & vocem attinet, constat. Certumque est hanc regionem proximè accedere ad naturam ac temperaturam optimæ constitutionis. Verum virilitatem, laboris tolerantiam, ac audaciam non verisimile est huic naturæ innasci: sicut neque eiusdem, neque diuersi generis constantes ac perpetui amatores. Vincit enim in ipsis voluptas, quæ ratio est multiformes generari partus præcipuè in feris. Atque sic quidẽ de Ægyptiis ac Libyis

mihi habere videtur. Qui verò ad dextram hyberni ortus solis vsque ad Mæotidem paludem (hic est enim Europæ & Asiæ terminus) sic habent. Multo maior diuersitas est inter illas ipsas gentes, quàm de quibus iam dixi, quum propter varias temporum mutationes, tum ob regionis naturam. Habet autem eodem planè modo, quemadmodum & circa aliorum hominum terras accidit. Vbi enim tempora magnas mutationes faciunt, & frequentissimas, illic & regio agrestis, & maxime inæqualis existit, inueniasque & montes plurimos & densos, itemque campos & prata. Vbi autem non valdè variant tempora, illic æqualissima regio est, quod idem & de hominibus ipsis est intelligendum. Si quis enim rectè consideret, videbit quorundam naturam montanis, syluosis ac asperis locis similem esse, aliorũ verò aquosa ac exilia loca referre: sicut quidam pratorum ac paludum naturam præ se ferunt: atque alij sunt, quorum planitiebus nudisque ac siccis terris constitutio similis existit. Tẽpora enim quæ formarum naturam variant,

πως ἔχειν μοι δοκεῖ. περὶ δὲ τῶν XII.
ἐν δεξιᾷ τοῦ ἡλίου τῶν ἀνατολῶν
τῶν χειμερινῶν μέχρι Μαιώτιδος λίμνης. (οὗτος γὰρ ὅρος τῆς
Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίης) ὧδε ἔχει περὶ αὐτέων. τὰ δὲ ἔθνεα
ταῦτα, ταύτῃ διάφορα αὐτὰ ἑωυτέων μᾶλλον ἐστὶ τῶν προδιηγημένων, διὰ τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρέων καὶ τῆς χώρης τὴν
φύσιν. ἔχει δὲ καὶ κατὰ τὴν γῆν XIII.
ὁμοίως, ἅπερ καὶ κατὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους. ὅκου γὰρ αἱ ὧραι μεγίστας μεταβολὰς ποιέονται καὶ πυκνοτάτας, ἐκεῖ καὶ ἡ χώρη ἀγριωτάτη καὶ ἀνωμαλωτάτη ἐστίν. καὶ εὑρήσεις ὄρη τε πλεῖστα καὶ δασέα, καὶ πεδία, καὶ λειμῶνας ὄντας. ὅκου δὲ αἱ ὧραι μὴ μεγάλας ἀλλάσσουσιν, ἐκείνοις ἡ χώρη ὁμαλωτάτη ἐστίν. οὕτω γὰρ
ἔχει καὶ περὶ τῶν ἀνθρώπων. εἴ XIV.
τις βούλεται ἐνθυμέεσθαι. εἰσὶ γὰρ φύσιες αἱ μὲν ὄρεσιν ἐοικυῖαι, δενδρώδεσί τε καὶ ἀφύδροισι. αἱ δὲ, λεπτοῖσί τε καὶ ἀνύδροις. αἱ δὲ λειμακεστέροισί τε καὶ ἑλώδεσι· αἱ δὲ πεδίῳ τε καὶ ψιλῇ καὶ ξηρῇ· αἱ γὰρ ὧραι αἱ μεταλλάσσουσαι τῆς μορφῆς τὴν φύσιν;

εἰσὶ διάφοροι. ἢν δὲ διάφοροι ἔωσι μετὰ σφῶν αὐτέων, διάφοροι καὶ πλείονες γίνονται τοῖς
XV. εἴδεσιν· καὶ ὁκόσα μὲν ὀλίγον διαφέρει τῶν ἐθνέων, παραλείψω. ὁκόσα δὲ μεγάλα ἢ φύσει ἢ νόμῳ, ἐρέω περὶ αὐτῶν ὡς ἔχει.

sunt diuersa. Quum ergo inter sese fuerint maximè diuersa, varias & multiplices formas producunt. Porrò quæ parum inter se differunt gentes, relinquam. Quæ autem plurimum, non natura solum, sed & legibus ac consuetudinibus discrepant, de illis referam quomodo habeant.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

TEXT. I. Hippocratis consilium est de vniuerso terrarum orbe disputare, quatenus & ratione caloris, frigoris, humiditatis atque siccitatis plurimum à se distat. Orbis igitur tres habet partes: Asiam omnium maximam, quæ 48. regionibus constat; Europam omnium minimam, quæ 34. Africam Asia minorem, sed Europa maiorem, quæ 12. Hæc enim pars propter Zonæ torridæ summos æstus & monstrorum efferatorum nimiam multitudinem, minus habitabilis est, & proinde paucioribus contenta populis. Considerat Hippocrates Asiam, tanquam calidam, Europam verò tanquam frigidam. Sed quæ pars Europæ frigidissima est, ab Hippocrate Scythia vocatur: quę verò temperatior, generali nomine Europa.

τῆς μορφῆς.] Galenus *ad part. 1. comm. 2. in lib de nat. humana*, exponit quid sit apud Hippocratem εἶδος, id est, forma; aitque accipi pro ipsa corporis temperie & natura. Hîc autem, μορφὴ, latiùs extenditur, ad corporis videlicet habitudinem in longitudine, latitudine & crassitudine, itemque externa vultus & omnium membrorum figura: Hanc igitur iubet considerari Hippocrates, quoniam cognitionem temperamenti suggerit, vt docet Galenus *lib. 2. de temper.* vbi ex corporis quadratura colligit perfectam temperiem.

II. ἥπ χώρη τῆς χώρης ἡμερωτέρη.] Citatur hîc locus à Galeno, *libri, quod animi mores sequuntur temperiem corporis cap. 8.* Et Galeni interpres ita vertit, *estque regio regione mitior.* Quasi velit Hippocrates dicere, Asiam quidem esse in multis partibus temperatam, sed in aliquibus non: contra verò totam Europam intemperatam. Et hunc esse germanum Hippocratis sensum sequens declarat contextus, quo vbi cum Hippocrates dixit summam esse Asiæ temperiem, subiungit, *sed non in omni Asiæ parte tamen similiter.* Cardanus autem sequutus errorem interpretis

contradict. 11.*l.* 2.*tract.* 1. multis modis conatur efficere, quomodo Hip. & insula Co dicantur Europæi. Sed nullo modo stat Cornarij quam tamen interpretatio, cum & insula Co sit iuxta Cariam, proindeque Asiana; & non detur Hippocratis regione alia regio mansuetior. Nam Galenus *ad aph.* 14. *lib.* 3. Hippocratis patriam sitam in quarto climate temperatissimam vocat. Galenus quoque *cap.* 7. *lib.* 2. *tuend. sanit.* inquit suam regionem esse temperatam: patriam verò Hippocratis in medio sitam, proinde adhuc clementiorem. Nam Pergamus Galeni patria distat ab æquinoctio 39. gradibus, Cos autem 35. tantum.

III. *κρήσιος ὡρέων.*] Vt intelligamus quomodo Hippocratis patria sit temperatissima, notandum est septem esse orbis climata id est, vt interpretatur Vitruuius *cap.* 1. *lib.* 1. *Architect.* cœli inclinationes, quæ considerantur pro recessu regionum ab æquinoctiali circulo, & ad mundi polos, tali inclinatione, vt sensui manifesta sit diei varietas ad semi-horæ incrementum. Est igitur primum clima dictum *διὰ μερόης*, id est, per Meroen, ab vrbe Æthiopiæ, cujus maior dies est 13. horarum, & poli eleuatio 16. graduum. Appellamus autem eleuationem poli eam quæ fit supra horizontem nostrum. Quantum autem distat Zenith nostrum, id est, perpendiculare punctum, quod supra nos imaginamur in cœlo ab æquinoctiali circulo, tantum polus supra horizontem est. Secundũ clima est *διὰ συήνης*, ab vrbe Æthiopiæ Syene, quæ magis est septentrionalis. Dies habet horarum 13. cum vna secund; eleuationem poli 24. grad. Tertiũ est *διὰ ἀλεξανδρείας*, ab hac Ægypti vrbe. Dies hîc maximus 14. horar. eleuatio poli 30. grad. Quartũ est *διὰ ῥόδου*, ab insula Rhodo. Hic dies maximus hor. 14. cum vna secunda; eleuatio poli 36. graduum. Quintũ est *διὰ ῥώμης*, ab vrbe Roma. Hîc dies est hor. 15. eleuatio poli 41. grad. Sextũ *διὰ βορυσθένους*, à Boristene Ponti fluuio. Hîc dies est hor. 15. cum vna secunda, poli altitudo 45. grad. Septimũ est *διὰ ῥιφαίων*, à Rhipheis montibus septentrionalibus. Hîc dies maximus est 16. hor. eleuatio poli 48. grad. Et quoniam in septenario numero quaternarius medium exactè obtinet, inter septem mundi climata quod quartum erit, erit medium & maxime temperatum. Talis est autem Hippocratis patria: imo, si Ptolemæo credimus, maior pars Asiæ inter meridiem & orientem sita.

τὴν δὲ αὔξησιν.] In regione temperata facile esse corporum incrementum docet Gal. *c.* 6. *lib.* 2. *de temper.* additque *cap.* 1. *eiusd. lib.* eiusmodi homines inter omnia perturbationum genera medios esse: quod & ostendit Galenus *cap.* 8. *lib. quod animi mores sequuntur temperiem corporis.* Et eiusmodi homines notantur ab Hippocrate *lib.* 1. *de diæt.* cum inquit homines efformatos ex tenuissima aqua & igne rarissimo, in maximis tempestatum anni mutationibus, & ciborum alterationibus suam nepiam naturam conseruare, vsque ad annum quadragesimum. Vbi per aquam intelligere debes humiditatem seminalem: & per ignem, spiritum in hac humiditate conclusum. Dicitur autem tenuis aqua, semen, quod nec crassius est, nec crudius: itemque ignis rarus, spiritus tem-

peratus: nam qui calidior, ignescit: qui frigidior, stupidum hominem reddit. Estque quod apud Galenum *in lib. quod animi mores seq. temp. corp.* dixit Aristoteles, homines vt sapientes sint, debere esse sanguine tenui & subfrigido.

εὐκαρπώτατη ἐστιν καὶ εὐδενδρότατη.] Aquarum sufficiens mediocritas causa est, cur omnia hic fertiliora sint. Nam Plinius *cap. 22. lib. 18.* inquit iuxta Tacapen Africæ, ob aquarum irriguarum temperiem, sub palma oleam, & sub hac ficum, sub ficu punicam, & sub hac vitem continuata insitione fructus edere suaues & copiosos. IV.

μήτε ὑπὸ ψύχ. βεβιασμ. πέπηκται.] Galenus *in libro quod animi mores sequuntur temperiem corporis*, sic legit, μήτε ὑπὸ ψύχεος πέπτεται, nec habet verbum βεβιασμένη. Et erit ad verbum, *nec à frigore coquitur.* Sed quoniam verbum πέσσειν, quod est coquere, aut etiam aliquam commoderationem habere, non est à frigore, videtur melius legi posse πέπηκται, quod est, *concrescit*, hoc enim frigoris proprium est.

νοτία τε καὶ διάβροχος.] Si regio est temperata, quomodo laudatur tanquam australis? Cardanus putat hîc de Africa Hippocratem loqui, propterea quod teste Plinio *cap. 47. lib. 2.* & Aristotele *problem. 51. sect. 22.* Afris auster salubris est, & eos refrigerat. Sed Hippocrates Africæ adhuc non meminit, & hic temperatam in Asia regionem describit. Alemanus putat dici νότον, quod interdum perfletur austris. At Hippocrates quotiescunque νότον pro vento posuit, intellexit tum hunc ventum diutius perflare. An igitur dicemus in Hippocratis regione tẽperata austrum salubrem fuisse? Non. Nam Galenus *ad aph. 14. lib. 3.* inquit omnia in aphorismis de Austro & Borea posita incommoda in temperata regione esse intelligenda. Recurrendum est igitur ad secundum huius dictionis significatum, vt sit νότος, idem quod humidus: & sequens dictio διάβροχος, videtur esse præcedentis interpres. Atque hoc etiam secundum phrasim Hippocraticam dici posse patet *ex part. 29. sect. 1. lib. 6. epid.* Hîc enim quas febres dicimus ad tactum humidas, id est, propter superfluam corporis humiditatem putrentem factas, appellauit πυρετοὺς νοτώδεας πρὸς τὴν χεῖρα.

ἀπὸ σπερμάτων.] Etsi, vt notat Galenus *cap. 6. lib. 6. locor. aff.* γόνος, γονὴ, & σπέρμα, id est, genitura & semen confundantur, tamen Aristoteles *cap. 18. lib. 1. de animal. generat.* ita distinguit, quod γόνος siue γονὴ sit id ipsum ens imperfectum, quod à generatione procedens principium generationis obtinet, quale est benignum illud nostrum excrementum. σπέρμα autem sit, quod ex ambobus coëuntibus resultans in suo genere perfectum est, posteaque ad alterius perfectioris generationem accedit. Vt ouum est σπέρμα ex coitu galli & gallinę, ex quo postea gallus; itemque hordeum & triticum, quo modo hic Hipp. nomine σπέρματος est vsus. V.

αὐτὴ ἡ γῆ ἀναδιδοῖ φυτά.] Omnes plantæ oriuntur vel radice, vt quæ transplantantur; vel sponte, vt arbores syluestres; vel semine, vel surculis, vel insitione. De his tribus postremis locutus est Hippocrates X.

in lib. de nat. puer. Atque ex semine sic planta fit. Terra omnis generis humorem ad nutritionem variarum formarum ex se nascentium obtinet: semen humiditate impletur, & intumescit: humor folium producit. Spiritus seminis tumore in vnum coactus semen superiore parte frangit, vt erumpat, vnde folium emergit. Vbi seminalis humiditas nutriendis foliis iam adultioribus non sufficit, rumpitur infernè semen, & materia foliorum deorsum se propagans radicem gignit. Adulta planta venas habet amplas, quibus crassum & pingue attrahens alimentum fructum generat multum, qui coctione solis solidus fit. Ex surculo fit planta hoc modo. Surculus primò qua parte in terram reconditur, vulnus habet, per quod alimentum trahit. Huic pars terræ mandata tumet, & vi in inferiorem partem demissa radicem gignit, ex qua vbi copiosum traxerit alimentum folium educit: sicque distinguitur surculus à semine, quod hoc primum folia, ille primum radices excitat. Inoculatio primùm germen producit, quoniam insita materia & à sua planta alimentum habebat depositum, & ab ea cui insitio facta est, trahebat: deinde radices tenues à se sensim per substantiam arboris ad terram vsque propagat, vnde per insitionem producitur fructus arbori primæ

VI. simillimus. Cur autem auulsæ plantæ à suis truncis non intereant, tres causæ sunt, natura penitus similaris, alimentum in parte semper ad vsus necessarios reconditum, & vis spermatica cuique parti infixa & remanens.

VII. ἢ ταῖ φωναῖς.] Aristoteles *probl. 59. & 60. sect. 11.* vult vt brutorum, ita & hominum vnicam esse vocem: sed vocem hominum articulationibus distingui. Idem Aristoteles *cap. 1. lib. 7. de hist. animal.* ait acutiorem esse puerorum quam natu maiorum, mulierũ quam virorum, puellarum quam puerorum. Rationesque sunt ex Gal. differentiarum vocis hæ. Fit vox acuta propter ariditatem arteriæ, & angustiam. Fit grauis propter humiditatem. Fit magna & fortis propter latitudinem. Cum igitur quod temperatum est sit vnum & simplex, intemperatorum autem infinitæ differentiæ sint, hîcque sermo sit de homine exactè temperato, sequitur homines temperatos in omnibus esse maximè similes.

VIII.

IX. τὸ θυμοειδὲς οὐκ ἂν δύναιτο.] Galenus *cap. 5. lib. 5. de placit. Hipp. & Plat.* ex vtriusque sententia triplicem animam facit; vnam in cerebro, alteram in corde, tertiam in hepate. Prima dicitur ψυχή. Secunda θυμός. Tertia ἐπιθυμία. Primæ sunt facultates quatuor, sentiens, intelligens, recordans, mouens. Secundæ facultates duæ sunt, irascens, & pulsans arterias. Tertiæ duplex est obiectum, vnum necessarium, vt cibus & potus; alterum ad perfruendas voluptates, vt cibus lautior & venus. Hic Hippocrates eam animæ partem intelligit, quæ sita in corde & iram suggerens, nos ad victoriam impellit, vt anima prima ad honestatem, tertia ad voluptatem.

X. μήτε ὁμόφυλον] Quemadmodum Hippocrates superiore contextu in hominibus regionis temperatæ secundam animam voluit esse imbecillam, ita etiam hoc contextu tertiam vult esse validam: qui enim sunt optimè

optimè temperati plurimo semine turgent, & eo fœcundo. Detestatur igitur hoc loco promiscuos concubitus, ad quos nec similitudine sexus alliciuntur, & à quibus dissimilitudine sexus non auertuntur, sed libidine ad obiectum primum rapiuntur. Eandemque vim non in hominibus solis, sed in brutis etiam esse contendit, vnde monstra variarum formarum. Hunc esse germanum Hippocratis sensum declarat contextus sequens, quo inquit hæc in Ægypto & in Africa ita se habere. Nam Aristoteles *cap.5.lib.2.de generat. animal.* ostendit æstatis tempore, ob aquarum penuriam omnia animantia ad fluuios sitis explendæ causa confluere, ibique τὰ μὴ ὁμόφυλα ἀλλήλοις μίγνυσθαι, id est, *bruta non eiusdem sexus & generis misceri.* Neque tamen ob id quispiam credat species inter se misceri, quoniam (vt inquit Aristoteles eodem in loco) quæ congrediuntur animalia, aliquam formæ dissimilitudinem habent, sed speciei omnimodam similitudinem; itemque magnitudinis & temporis partus, sic enim ex asino & equa mulus gignitur; & ex lupo & cane lycisca. Quid autem interpretes in errorē induxerit, est ambiguitas dictionū ὁμόφυλον & ἀλλόφυλον. Interdū enim componuntur à dictione φυλή, id est, *tribus*, vnde ὁμόφυλοι, *qui sunt ex ead. tribu*; ἀλλόφυλοι, *qui sunt ex diuersa tribu.* Interdum autem componuntur à dictione φῦλον, id est, *sexus & genus*, vnde ὁμόφυλοι, *qui sunt eiusd generis* aut *sexus*, vt hoc loco.

ἐν δεξιᾷ τῶν ἡλ.] Partem Asiæ quæ magis septentrionalis est inquit sitam esse ad dextram partem hyberni ortus Hippocrates, secutus modum loquendi Cosmographorum. Cosmographi enim respiciunt polum arcticum, proinde habent orientem pro dextro, & occidentem pro sinistro. Cum igitur ortus hybernus sit summa partis orientalis extremitas, regio quo magis ab hac discedens ad nostrum cancri tropicum accedet, eo magis ad orientem nostrum spectabit, sicque vt nobis orientalior, ita & magis dextra. Contrà Poetæ respiciunt occidentem, sicque hi septentrionem habent pro dextro, meridiem pro sinistro. Augur respicit orientem, sicque dextrum habet ad meridiem, sinistrum ad septentrionem. Astrologus respicit meridiem, sicque ei oriens pars est sinistra, occidens pars dextra. XII.

μαιώτιδος.] Palus est septem millia stadiorum in se continens septentrionem versus, quam Plinius Europæ tribuit *cap.7.lib 6.* vocaturque à Scythis lingua vernacula *Temerinda*, id est, maris mater; à Græcis autem μαιῶτις, id est, maris nutrix; nam μαῖα, est nutrix Græcis. Nunc & iam temporibus Polybij, propter maximos arenarum affluxus maxima ex parte terra continens est.

ἢ ψιλώσιες.] Cardanus in hunc locum planitiei causam inquit esse calorem, à quo consumitur terræ humiditas & spiritus, indeque terra considet: Contrà contendit montium causam esse frigus, à quo ipsum terræ humidum congelatur, & lapidescit. Quod arguitur esse falsum, cum in calidissimis regionibus excelsi montes sint, & ignes veniant: contrà in frigidissimis regionibus, vt in Scythia Europæa, quam Poloniam nunc vocant, summæ sunt camporum planities. Vide Scalig. *exercit. 42. & 43. in Cardanum.* XIII.

Q

XIV. κατὰ τὰς φύσιας] Galenus *cap. 2. lib. 2. de semine* hanc Hippocratis opinionem confirmat, cum ait idoneum moribus animę corpus à natura fieri, moresque istos à substantia & temperatura seminis dependere. Qui igitur montes incolunt, sunt sicci: qui valles, calidi humidi: qui nudam planitiem, hi pro conditione aëris afflantis se habent. Rursum montium distinctio est. Qui enim incolunt eos montes, qui orientem & septentrionem eripiunt, hi sunt effœminatiores: qui verò incolunt eos montes, qui meridiem & occasum claudunt, hi erunt robusti: qui degent in planitie, præstabunt equitatu.

μεταλλάσσονται.] Cum sit omnino sextuplex similitudo in animantibus; speciei, sexus, formæ, vocis, corpulentiæ & morum, Hippocrates hoc contextu remotam omnium harum similitudinum causam inquirit. Nam qualis est anni tempestas, tales ventres, tales spiritus, tales humores, vt notat Galenus *in præfatione 1. epidem.* Quales autem sunt humores, tale & spermaticum excrementum in substantia & temperamento. A substantia autem seminis similitudo generis est, sexus autem à temperamento. Sed vt omnis ratio similitudinis inquiratur, considerabimus quæ scribuntur ab Hippocrate, Galeno, Aristo-
τὸ ἰσχυρὸν, τὸ tele, & Plinio. Hippocrates igitur *in libro de natura puer.* in generatio-
πλῆθος ἡ ne tria considerat; vim, materiam, & materiæ multitudinem. A mate-
ὕλη, ria est similitudo generis: Nam semen humanum nihil nisi hominem generat. A vi dependet sexus. Nam si vterque parens masculum semen emiserit, mas generabitur. A multitudine dependet exterioris formæ similitudo. Nam qui parens plus seminis, & à pluribus partibus contulerit hic fœtum sibi similem in lucem educet. Galenus *cap. 1. & 2. lib. 2. de semine*, in generatione duo considerat, materiam (quæ
ὕλη. multa est in sanguine menstruo, pauca in semine) & facultatem, quæ
δυνάμις. multa est in semine, pauca in menstruo. A substantia seminis manat similitudo speciei, sed à facultate conformante manat partium organica
κατὰ τὸ εἶδος similitudo. Sed ea duplex est. Vna ad vniuersam speciē. Altera ad pecu-
ὅλον. liarem indiuidui effigiē, vt conformatio nasi simi in fœtu, cuius est parens simus, respicit indiuiduum. Vt igitur à semine, præcipuéque materno propter longam fœtus in vtero moram & menstrui accessionem similitudo speciei dependet, sic etiam peculiaris effigiei ad huius aut
semper illius imaginem conformatio ab eo semine dependet, quod valentius
partus se- fuerit. Aristoteles autem *cap. 3. lib. 4. de generat. animal.* motum in quo
quitur vē- sit vis efficiendi, & semen pro eodem vsurpans, sic philosophatur: Mo-
trem. tus est duplex, vnus actu, alter potestate. Motus actu rursum est duplex, vnus hominis generantis, vt Socratis; alter vniuersalium, ex quibus constat generans, vt sunt homo & animal. Motus potestate dicuntur illi, in quos degenerant actiui motus, si dum agunt repatiendo victi, soluantur, id est, impediantur. Et hi motus in potestate sunt cum ad fœminam generatio tendit, aut ad similitudinem alicuius maiorum nostrorum. Actiui motus rerum vniuersalium, quæ sunt in indiuiduo generante, semper vincunt, ideoque semper ex animali animal, &

ex homine homo nascitur. Sed actiui motus indiuidui generantis, si aliquando soluti fuerint. i. impediti, degenerant in motus contrarios, qui potestate reperiuntur. Restat ergo, vt semen masculum victum in fœminam degeneret, & vt similitudo indiuidui generantis victa in semine degeneret, & vt similitudo indiuidui generantis victa in semine, degeneret in proximam similitudinem, id est, in similitudinem vel aui vel proaui. Sicque Aristoteles caulam omnem & generis, & sexus, & similitudinis motui attribuit. Plinius autem similitudinis caussam ait esse vehementem mentis impulsionem. Quod & confirmatur historia mulieris albæ, quæ enixa est filium Æthiopem, quod patrem talem habuisset, & de ipso in coitu cogitasset. Et quia omnes hi aliquid dicunt quod ad rationem similitudinis spectare possit, quatuor in conceptu considerabimus: ipsum generationis actum, speciem quæ generatur, sexum, & exteriorem similitudinem. Ad hæc omnia septem causas statuemus, commutationem anni tempestatum, semen, seminis temperamentum, facultatem, seminis multitudinem, seminis motum, & mentis impulsionem, quæ dicitur imaginatio. Anni tempestas suggerit & semen, & seminis quantitatem (vere enim semen est copiosius) & temperiem: Temperies facultatem: Facultas motum: Imaginatio extrinsecus aduenit. A seminum congressu generationis actus, à seminis substantia speciei similitudo, à temperamento sexus (frigidius enim semen fœminas gignit, calidius mares;) à facultate motus ad partium [κτ τὸ εἶδος] conformationem vniuersalem, à multitudine quam imaginatio adiuuat, peculiaris partium similitudo. Et quia vbi variant tempestates, ibi variant humores, & proinde semen, fit vt dissimillimi nascantur fœtus. Quod attigit Hippocrates *aph.* 12. *lib.* 3. cum hyeme austrina & clementi vereque aquilonio fœtus debiles ac valetudinarios educi scripsit.

XV. ἢ φύσει ἢ νόμῳ] Familiare est Hippocrati has duas voces sibi inuicem opponere φύσει & νόμον. Quas interpretatur Galenus *ad part. 8. comm. 1. in lib. de nat. hum.* cum inquit κτ' φύσιν nihil aliud esse, quàm secundum ipsam rei essentiam atque veritatem: κτ' νόμον autem secundum hominum opinionem communem. Idem Galenus *in lib. quod an. mores sequuntur temperiem corporis*, νόμον ait esse viam traducendæ in aliqua regione vitæ, legibus constitutam: quæ educatio, institutio, & mos maiorum vocatur. Idem Galenus *cap. 2. lib 1. de elem.* νόμον interpretatur, νομαςὶ καὶ πρὸς ἡμᾶς, id est, ex opinione & secundum nos. Istaque ratio loquendi videtur esse deducta ex Democriti disciplina, qui in sua Physiologia Entium diuisionem faciens, inquit eorum quæ sunt, quædam sunt ἐτεῇ, id est, re ipsa, vt atomos & inane; quædam sunt νόμῳ, id est, hominum opinione, vt color. Et in hac acceptione vsurpatur ab Hippocrate in principio libri de genitura. Vnde patet Gorrhæi interpretis error, qui νόμον fatalem naturæ quendam ordinem exponit, cum sit hic Hippocratis sensus: Quamuis communis hominum opinio omnia superet, tamen de semine ita statuendum est. Hic igitur Hippocrates

tractat populorum differentias, & secundum naturam loci, & secundum vitæ rationem legibus constitutã, incipitque à Macrocephalis populis Themiscyræ in Cappadocia: qui populi sunt in quinto climate, quod appellatur διὰ ῥώμης: Talesque extiterunt primo quidem instituto vitæ, postea verò natura.

AC primùm omnium de Macrocephalis, quum nulla omnino alia gens sit, quæ similia capita habeat. A principio quidem consuetudo in causa fuit, vt tam longis capitibus essent. Nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspirauit. Siquidem generosissimum apud eos putatur, caput habere quàm maximè longum: consuetudinis autem hoc initiũ fuit. Quum recens infans natus est, caput eius adhuc tenerum ac molle existens, quàm celerrimè constringunt manibus, coaptantesque cogunt in longitudinem augeri, quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. Ea consuetudo tantum effecit, vt eiusmodi natura capitum existeret. Temporis verò progressu natura quoque tales produxit, vt non esset necesse consuetudine priore cogere. Quum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidẽ

TEXT. XVI. Καὶ πρῶτον περὶ τῶν μακροκεφάλων. τουτέων γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλο ἔθνος ὁμοίως τὰς κεφαλὰς ἔχον οὐδέν. τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν, ὁ νόμος αἰτιώτατος ἐγένετο τοῦ μήκεος τῆς κεφαλῆς. νῦν δὲ, καὶ ἡ φύσις ξυμβάλλεται τῷ νόμῳ. τοὺς γὰρ μακροτάτην ἔχοντας τὴν κεφαλὴν γενναιοτάτους ἡγέονται. ἔχει δὲ περὶ νόμου ὧδε. τὸ παιδίον ὁκόταν γένηται, τάχιστα τὴν κεφαλὴν αὐτέου ἔτι ἁπαλὴν ἐοῦσαν μαλακοῦ ἐόντος ἀναπλήσσουσι τῇσι χερσὶν, καὶ ἀναγκάζουσιν ἐς τὸ μῆκος αὔξεσθαι, δεσμά τε προσφέροντες, καὶ τεχνήματα ἐπιτήδεια ὑφ᾽ ὧν τὸ μὲν σφαιροειδὲς τῆς κεφαλῆς κακοῦται, τὸ δὲ μῆκος αὔξεται. αὐτὸς τὴν ἀρχὴν ὁ νόμος κατειργάσατο, ὥστε τοιαύτην τὴν φύσιν γενέσθαι. τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, ἐν φύσει ἐγένετο, ὥστε τὸν νόμον μηκέτι ἀναγκάζειν. ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται, ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρὸς τοῦ σώματος, ἀπὸ XVII.

τε τῶν νοσερῶν, νοσερός. εἰ οὖν γί-
γνονται ἔκ τε τῶν φαλακρῶν φα-
λακροὶ, καὶ ἐκ γλαυκῶν γλαυ-
κοὶ, καὶ ἐκ διεστραμμένων στρε-
βλοὶ, ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος, καὶ περὶ
τῆς ἄλλης μορφῆς ὁ αὐτὸς λόγος,
τί κωλύει καὶ ἐκ μακροκεφάλου
μακροκέφαλον γίγνεσθαι; νῦν δὲ
ὁμοίως οὐκ ἔτι γίγνονται ὡς πρό-
τερον. ὁ γὰρ νόμος οὐκ ἔτι ἰσχύει,
διὰ τὴν ἀμέλειαν τῶν ἀνθρώ-
πων. περὶ μὲν οὖν τούτων οὕ-
XVIII. τως μοι δοκεῖ. περὶ δὲ τῶν ἐν
Φάσει, ἡ χώρη ἐκείνη ἑλώδης ἐ-
στὶ καὶ θερμὴ, καὶ ὑδατεινὴ, καὶ δα-
σεῖα. ὄμβροι τε αὐτόθι γίγνονται
πᾶσαν ὥρην πολλοί τε καὶ ἰσχυροί.
ἥ τε δίαιτα τοῖς ἀνθρώποις ἐν τοῖς
ἕλεσιν ἐστίν. τά τε οἰκήματα ξύλι-
να καὶ καλάμινα ἐν ὕδασι με-
μηχανημένα. ὀλίγῃ τε χρέον-
ται βαδίσει κατὰ τὴν πόλιν καὶ τὸ
ἐμπόριον, ἀλλὰ μονοξύλοις δια-
πλέουσιν ἄνω καὶ κάτω. διώρυχες
γὰρ πολλαί εἰσιν. τὰ δὲ ὕδατα
θερμὰ καὶ στάσιμα πίνουσιν, ὑπό
τε τοῦ ἡλίου σηπόμενα, καὶ ὑπὸ
τῶν ὄμβρων ἐπαυξόμενα. αὐτός
τε ὁ Φάσις στασιμώτατος πάντων
τῶν ποταμῶν, καὶ ῥέων ἠπιώ-

ſanum; à morbidis morboſum: fiatque vt ex caluis calui gignantur, ex cæſiis cæſij, & vt plurimũ diſtortus diſtortum generet, eademque ratio ſit circa reliquas formas: quid prohiberet, vt non ex Macrocephalis Macrocephali gignerẽtur? Nunc autem non naſcuntur ita magnis capitibus, quemadmodum prius; quum conſuetudo non amplius duret, per incuriam hominum intercepta. Et de his quidem hæc ſufficiant. De illis autem qui Phaſim aceolunt, adijciam. Regio eorum paluſtris eſt, calida, aquoſa & denſa, imbreſque in eam decidunt omnibus temporibus, & magni & impetuoſi: homines verò ipſi vitam agunt in paludibus, domoſque ligneas, & ex arundinibus in ipſis aquis habent extructas. Neque multum inde prodeunt, vt adeant, vel emporia, vel vrbes: verum nauiculis ex vno ligno fabrefactis permeant ſurſum ac deorſum: habent enim foſſas ac ductus aquarum plurimos. Bibunt autem aquas calidas & ſtagnantes, quæ & à ſole ſunt putrefactæ, & ab imbrium caſu auctæ. Ipſeq; fluuius Phaſis omniũ fluuiorũ ſtagnantiſſimus eſt, qui lentiſſimo

cursu profluat. Fructus autem qui illic nascuntur, omnes insalubres sunt, euirati imperfectique præ multitudine aquarum, neque vnquam maturescunt. Atque quum multus aër ab aquis regionem occupet, ob hanc ipsam causam, quod ad formam ac corporum speciem attinet, Phasiani sunt à reliquis hominibus longè diuersi. Sunt enim magnitudine ingenti, ac corpulentia valde excellenti: neque iuncturæ eorum vllæ, neque venæ comparent: pallidumque præ se ferunt semper colorem, quemadmodum qui regio obnoxij sunt morbo. Loquuntur autem vt si qui alij, omnium hominum grauissime, aëre vtentes non sereno, sed obscuro, & maxime humectato. Sunt insuper ad laborem à natura ipsa segniores. Annique tempora non varias habent, neque ad æstum, neque ad frigus permutationes.

ταῦτα. οἵ τε καρποὶ γινόμενοι αὐτόθι πάντες ἀναλδέες εἰσὶν καὶ τεθηλυσμένοι, καὶ ἀτελέες ὑπὸ πολυπληθείης τοῦ ὕδατος. διὸ TEXT. XIX.
καὶ οὐ πεπαίνονται. ἠήρ τε πολὺς κατέχει τὴν χώρην ἀπὸ τῶν ὑδάτων διὰ ταύτας δὴ τὰς προφάσιας, τὰ εἴδεα ἀπηλλαγμένα τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἔχουσιν οἱ Φασιηνοί. τά τε γὰρ μεγέθη μεγάλοι, τὰ πάχεα δ' ὑπερπαχέες. ἄρθρον τε κατάδηλον οὐδὲν, οὐδὲ φλέψ. τήν τε χροιὴν ὠχρὴν ἔχουσιν, ὥσπερ ὑπὸ ἰκτέρου ἐχόμενοι. φθέγγονταί τε βαρύτατον ἀνθρώπων, τῷ ἠέρι χρεώμενοι οὐ λαμπρῷ, ἀλλὰ χνοώδει τε καὶ διερῷ. πρός τε ταλαιπωρίην τε τὸ σῶμα ἀργότεροι πεφύκασιν. αἵ τε ὧραι οὐ πολὺ μεταλλάσσουσιν, οὔτε πρὸς τὸ πνῖγος, οὔτε πρὸς τὸ ψῦχος.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Τῶν μακροκεφαλῶν.] Hippocrates *in libro de vulneribus capitis*, quatuor facit eius figuras, naturalem vnam, tres præter naturam. Galenus *cap.17. lib.9. de vs. part.* quintam adiungit, quæ cogitatione magis comprehenditur, quam re ipsa existat. Caput igitur naturaliter constitutum habet antè & retrò vnam προβολήν, id est, eminentiam. i. interprete eodem Hippocrate partem ossis rotundam quæ supereminet. Et vnaquæque προβολὴ habet suturam transuersam longiorem, eam vero quæ media est per longitudinem, breuiorem. Nam cuiuscunque capitis duæ sunt προβολαί, huius suturæ transuersæ sunt longiores: media autem breuior. Tres sunt capitis præter naturam figuræ. Vna dicitur στρογγύλη, id est, rotunda & compacta, cuius nullæ sunt eminentiæ, habetque suturas instar literæ X: quia quod caput vndequaque æquabile est, æquabiliter suturarum sit particeps oportet. Secunda est quæ habet solam eminentiam priorem, & huius duæ sunt suturæ tantum: transuersa, quæ dicitur coronaria, & ea breuior; longa, quæ dicitur sagittalis, eaque media, quæ longior ad collum vsque protenditur. Tertia habet solam eminentiam posteriorem, duasque tantum suturas: transuersam vnam & breuiorem, quæ est lambdoeides; alteram longiorem, quæ mediam frontem intersecat. Nam huius capitis duæ tantum suturæ sunt: eius quæ transuersa sutura est, breuior est semper: quæ per mediam longitudinem extensa, longior. Galenus *cap. 11. artis parua, cap.1. lib. de ossibus, cap.17. lib.9. de vsu part.* hanc Hippocratis diuisionem sic explicat, vt caput secundum naturam constitutum simile sit sphæræ rotundæ, antè & retrò oblongiori, dextrorsum autem & sinistrorsum depressiori. Tres reliquas figuras appellat φοξάς, id est, acutas. Sed qui carent omni eminentia, sunt inuerecundi. Qui habent solam anteriorem, sunt ingeniosi, sed non robusti. Qui habent solam posteriorem, sunt robusti, sed non ingeniosi, vt inquit Aristoteles *in physiogn.* Μακροκέφαλοι autem, quorum vitium est in magnitudine & conformatione, nullo horum generum continentur. Recurrendum ergo ad diuisionem Galeni *ad part. 3. sect. 1. lib. 6. epid.* vbi capitis duo sunt vitia, vnum secundum magnitudinem, alterum secundum conformationem. Caput vitiosum secundum magnitudinem est duplex, magnum & paruum. Secundum conformationem est duplex, στρογγύλον, id est, caput vndequaque rotundum sine eminentiis; & φοξόν, id est, caput acutum siue turbinatum. Caput φοξὸν rursum est duplex. Vnum quod habet vtramque eminentiam proceriorem, quam oportet. Alterum quod vnam tantum, idque duobus modis. Aut quoniam quæ supereminet προβολὴ, excreuit à multitudine materiæ. Altera verò suam fi- XVI.

guram naturalem retinuit. Aut quoniam altera penitus perdita est. Omne caput acutum propter deperditam προβολὴν, aut imminutam, malum est: sed peius, si posterior προβολὴ deficiat, quoniam hic & quartus cerebri ventriculus angustior est, & spinalis medullæ origo compressior. Sed si à multitudine materiæ vel vna, vel vtraque προβολὴ supereminet, hoc bonum, si vis conformatrix responderit; sin minus, malum. Respondisse autem cognosces, si ceruix valida, & conformatio parum indecora. Μακροκέφαλοι referri debent ad hanc speciem capitis acuti, cuius vtraque eminentia procerior est quam natura postulet: sic enim & Aristoteles *in animal. hist.* opposuit leones στρογγύλους, vt ad hanc particulam Galenus caput στρογγύλον, & caput φοξὸν κατὰ τὰς ἀμφοτέρας ἐξοχὰς προμηκεστέρας, secundum vtramque eminentiam quàm par est prociorem.

XVII. Ὁ μὲν γὰρ γόνος.] Huius sententiæ demonstratio est apud Hippocratem *in libro de genitura*: Ait enim ab omnibus corporis partibus, tam solidis, quàm mollibus, quàm etiam humidis, id est, sanguine, bile, aqua, & pituita excerni, quod robustissimum est atque pinguissimum, perque spinæ medullam, quam Plato *in Timæo* ob id genitalem appellat, in renes, & hinc per emulgentes ad vasa spermatica deferri. Esse autem ad pudendum ab vniuerso corpore vasa, vt eò materia deferatur. Tota autem Hippocratica demonstratio hinc pendet, quod in coitu omnes corporis partes simul incalescant, voluptuentur, & debilitentur: hoc enim non fieret nisi ab omnibus esset partibus. Aliam post rationem subiungit à similitudine, quod qui parens de pluribus corporis partibus semen distribuit, hic fœtum sui simillimum educit. Sed Aristoteles *cap. 18. lib. 1. de animal. generatione* omnem hanc Hipppocratis disciplinam labefactare conatur, ac præcipuè tribus argumentis. Primum est, quod similitudo non arguat defluxum seminis, cum reperiantur pueri patribus similes voce, à qua nihil defluit. Secundum, quod voluptas fieret per successionem, si ab omnibus corporis partibus semen dimanaret. Tertium, quod semen esset σύντηγμα, colliquamentum. Addatur quartum, quod si semen suggerit vterque parens ab omnibus corporis partibus, nascentur duo animalia. Prima ratio Aristotelis in ipsum retorqueri potest, quod videlicet similitudo vocis ostendat aliquid seminis à vocis organis dimanasse, quod temperamenti similitudinem in fœtus arteria trachea imprimens, vocis quoque similitudinem reddidit. Secunda ratio nulla est, quod videlicet cum delectatio dependeat in emissione seminis, eaque confertim fiat, idcirco simul delectatio fit. Tertia ratio imponit Hippocrati. Etsi enim ipse *in libro de genitura* dixit semen διαχεῖσθαι, id est, fundi, non tamen voluit esse illud genus colliquamenti, quod à calore præter naturam effectum, corruptionem & sterilitatem habet, vt videre est in febribus quæ appellantur συντηκτικαί. Concludit Aristoteles semen esse excrementum vtile vltimi alimenti, id est, postremæ coctionis quę fit in singulis partibus. Et hoc pro Hippocrate est. Si enim semen est excrementum

mentum vtile nutritionis singularum partium, ab omnibus partibus est. Itaque Auicennas *lib.3.fen.19.tract.2.cap.3.* Hippocratis sententiam sic exponit, vt à tribus corporis principiis cerebro, corde & hepate seminalis substantia dependeat radicaliter; quæ tamen per resudationem, quæ fit ex alimento cæterarum partium, augeatur. Galenus autem *cap.5.lib.2.de semine*, semen vult esse exquisitè coctum sanguinem. Quod ab Hippocratis disciplina alienum non est, cum exquisito sanguine corporis omnes partes nutriantur, cuius superfluitas erit semen.

ἐκ γλαυκῶν γλαυκοί.] Apud Hippocratē *part.70 sect.3.lib.3.epid* oculus dicitur *χαροπός*, pro *γλαυκός*. Quæ duo etsi coloris quandam similitudinem habent, (tendunt enim ad viridem) tamen toto genere distinguūtur. Est enim oculus *χαροπός*, oculus rauus, qualis leonum; caliditatem & siccitatem temperamenti arguens. Est autem oculus *γλαυκός* cæsius, quàm simillimus colori cæruleo, paulum subalbicans, quemadmodum rauus est subflauescens. Et hic *γλαυκός* humiditatem & frigiditatem arguit.

στρεβλοί.] Notat Galenus *in lib. de vocibus Hippocratis*, *στρεβλόν*, id est, distortum, etsi de toto corpore dici possit, tamen ab ipso ad solos oculos strabos referri.

περὶ δὲ τῶν ἐν φάσει.] Situs Phasianorum ad palustrem calidamque regionē pessimus est. Proinde quos morbos descripsit prima parte meridionalium hominum, scilicet phagedænas, dysenterias, catarrhos, mulierum sterilitates, puerorum conuulsiones, iuuenum pleuritides, seniorum paraplegias & apoplexias. Quos item descripsit morbos parte secunda huius libri locorum ad paludes sitorum, scilicet lienis tumores, ventris calores immodicos, hydropes, quartanas longas, hos omnes hic debemus intelligere. XVIII

σηπεδόνα.] Quod Hippocrates *lib.3.de morbis* dixit *σφακελίσασθαι*, Galenus *cap.15.lib.5.simpl.* dicit *φθείρεσθαι*; estque caloris, frigoris, siccitatis aut humiditatis excessu corrumpi: *σήπεσθαι* est vox longè angustior, quæ tria requirat, calorem, humorem, & fœtorem. Hic igitur aquæ, quia sunt stagnantes, calore solis corruptæ fœtebant.

φάσις πεπηγμένης.] Hic fluuius celebratur aue sui nominis Phasiano & Leucosiphylo planta, quæ si culcitræ supponatur, medetur impudicis matrimoniis.

ἀναλδεῖς.] *Ἀναλδεῖς* apud Hippocratem duo significat. Interdum id ipsum quod insanabile est, vnde *in libro de articul.* dixit *ἄρθρον ἀναλδές*. Interdum autem quod augeri aut nutriri nequit, vt notat Galenus *de vocibus Hippocratis libro*. Atque sic hoc loco intellige.

οὐ πεπαίνονται.] Ad maturationem Aristoteles *cap.3.lib.4.meteor.* tria requirit, calorem, humorem, & in humiditate siccitatis impressionem. Quoniam omnis maturatio per incrassationem procedit. Adeo vt aërea reddantur aquea, hæc verò terrea cum maturescunt. Maturitatem-

autem tria impediunt; caloris defectus, caloris excessus, & humoris nimia superfluitas; quæ hic maturitatis impeditæ causa est.

XIX. μεγέθη μεγάλα.] Galenus *cap.* 14. *lib.* 14. *meth.* notat duplicem esse magnitudinem. Vnam decentem, alteram indecoram. Prima fit à bonitate & multitudine materiæ cum facultatis conformatis robore. Secunda à multitudine materiæ cũ debilitate facultatis. Hãc in Phasianis intellige.

ὑπερπαχέες.] Galenus *ad part.* 19. *sect.* 3. *lib.* 6. *epid.* notat πάχος, siue crassitudinem esse corporis in tumorem eleuationem. Hæc fit duobus modis, vel secundum naturam, vel præter naturam. Præter naturam, vt quibus totum corpus tumet œdemate, & de his dixit Hippocrates *libro de octimestri partu*, pueros interdum non incremento, sed œdemate tumentes ab vteris maternis in lucem vix prodire posse. Prima appellatur πολυσαρκία, & ea triplex est apud Galenum *cap.* 4. *lib.* 2. *temperam.* Cum enim omnis polysarcia ab humoris multitudine contingat, si humor multus & calor paucus, hi plus pinguedinis quàm carnis habebunt: si humor multus & calor multus, his plus erit carnis quam adipis. Si æquè frigus & calor excellunt cum humoris copia, erit æqualis carnis & adipis proportio. Hic eos par est intelligere, qui plus frigoris habent, & proinde plus adipis: Quod & declarat subsequens contextus, quo inquit nec articulos, nec venas esse conspicuas. Sic enim Hippocrates *part.* 30. *sect.* 3. *lib.* 6. *epid.* pingues & frigidos describens inquit, *iugula & venæ non manifesta*, quod fit propter vasorum à frigore angustiam.

τήν τε χροιὴν ὠχρήν.] Inquit Phasianos esse colore bilioso, quoniam vt ipse dixit parte 2. huius libri, qui lacus incolunt, calidissimo sunt ventre æstate, quoniam bibunt aquas calidas & putridas. Aristoteles quoque *problem.* 12. *sect* 14. inquit palustres homines esse mali coloris, quia minus in perspirabili sunt loco. Cum autem icterici coloris tres sint causæ Galeno, hepatis scirrhus, inflammatio & obstructio: hic obstructionem arguere debemus, quæ fit ab aquis moram in hypochondrio facientibus. Item & successu temporis fiunt icteri nigri, propter obstructionem lienis & scirrhum, cuius etiam meminit secunda parte huius libri.

χνοώδει.] Notat Galenus *part.* 69. *comm.* 1. *in librum de articulis*, familiare esse Hippocrati vti dictionibus translatis. Sed *part.* 66. *comm.* 2. *in lib. de fract.* generalius dicit Galenus, nulli veterum Græcorum proprietatem dictionis curæ admodum fuisse, vt videre est in hac dictione χνοώδης, quæ proprie lanuginosum significat, & hic pro nubiloso cœlo ponitur. Qua forma & Eustathius in Odysseæ Z, ἁλὸς χνόον, maris ἀκαθαρσίαν interpretatur. Sed & Hesychius ἐπιχνοῦν pro tenebricoso dixit eadem forma qua Hippocrates.

TEXT. XX. Τὰ τε πνεύματα πολλὰ νότια, πλὴν αὐτῆς μιῆς ἐ-
πιχωρείης. αὕτη δὲ πνέει ἐνίοτε,
βίαιος καὶ χαλεπὴ καὶ θερμὴ, καὶ
κέγχρονα ὀνομάζουσιν τοῦτο τὸ
πνεῦμα. ὁ δὲ βορέης οὐ σφόδρα
ἀφικνέεται. ὁκόταν δὲ πνέῃ, ἀ-
σθενὴς καὶ βληχρός. περὶ μὲν τῆς
φύσιος, καὶ τῆς διαφορῆς, καὶ τῆς
μορφῆς τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ, καὶ τῇ
Εὐρώπῃ, οὕτως ἔχει. περὶ δὲ τῆς
ἀθυμίης τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῆς
ἀνανδρείης, ὅτι ἀπολεμώτεροί εἰ-
σιν τῶν Εὐρωπαίων οἱ Ἀσιηνοὶ,
καὶ ἡμερώτεροι τὰ ἤθεα, αἱ ὧραι
αἴτιαι μάλιστα, οὐ μεγάλας τὰς
μεταβολὰς ποιεύμεναι, οὔτε ἐπὶ
τὸ θερμὸν, οὔτε ἐπὶ τὸ ψυχρὸν,
XXI. ἀλλὰ παραπλήσιαι. οὐ γὰρ γίνον-
ται ἐκπλήξιες τῆς γνώμης, οὔ-
τε μετάστασις ἰσχυρὴ τοῦ σώματος.
ἀφ᾽ ὅτων εἰκὸς τὴν ὀργὴν ἀγρι-
οῦσθαί τε, καὶ τοῦ γνώμονος καὶ θερ-
μοῦ μετέχειν μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ
XXII. αὐτέῳ ἀεὶ ὄντα. αἱ γὰρ μεταβο-
λαὶ εἰσι τῶν πάντων, ἀεί τε ἐ-
γείρουσι τὴν γνώμην τοῦ ἀν-
θρώπου, καὶ οὐκ ἐῶσι ἀτρεμί-
XXIII. ζειν. διὰ ταύτας ἐμοὶ δοκέει τὰς
προφάσιας, ἄναλκες εἶναι τὸ γένος τὸ
Ἀσιηνὸν, καὶ προσέτι διὰ τοὺς

Venti autem eis sunt plurimi, austrini omnes, præter vnum eius regionis proprium & indigenam, qui aliquando violentior ac molestior calidus existens spirat, quem Cenchrona appellant. Verum boreas non valdè ad eos pertransit: quod si aliquando spirat, debilis tamen existit, ac valde lenis. De natura ergo ac diuersitate & forma eorum, qui Asiam & Europam incolunt, ita habet. Quod autem timidiores, effœminatiores, ac imbelles præ Europæis Asiani existant, moribusque mansuetiores tempora in causa sunt, quæ non magnas permutationes faciunt, neque caloris, neque frigoris, sed semper æqualia permanent: vnde neq; mentes stupore percelluntur, neque corpora fortem transmutationem incurrunt: à quibus verisimile est iram exasperari, cognitionemque & calorem amplius excitari, quam si semper in eodem statu quis persistat. Mutationes enim sunt, quæ hominis mentem semper excitant, neque sinunt quiescere. Propter quas sanè causas imbelle Asianorũ genus existit, atq; adhuc amplius propter

leges. Multo maxima enim Asiæ pars sub regibus est. Vbi autem non in sua potestate viuunt homines, neque sui iuris sunt, sed dominis subiecti, ibi non multum curiosi sunt, quo modo se ad bellum adparent: imo magis hoc curant, vt ne bellicosi videantur. Pericula enim eis non æqualia instant. Nam hi in militiam proficisci, laboresque perferre, ac mortem oppetere pro dominis suis coguntur, relictis interim domi liberis, vxoribus ac reliquis amicis. Atque si quidem viriliter & feliciter bellum gesserint, dominis inde commoda accedunt, eorumque facultates inde augentur: verum ipsis præter pericula & cædes nihil demetitur Proinde neque his hominibus regionem frequenter habitatam esse necesse est, imo eam propter inertiam bellicam ac otium à plerisque relinqui. Vt enim quisque maximè à natura virilis, & magnanimus est, ita plurimum eius animus leges auersatur: cuius rei magnum indicium vel inde habere licet: Quod quicunque in Asia Græci, itemque Barbari dominis non subsunt, sed iure suo degũt, illi sibi ipsisq; omnes labores lucri-

νόμοις. τῆς γὰρ Ἀσίης τὰ πολλὰ
βασιλεύεται. ὅκου δὲ μὴ αὐτοὶ ἑ- XXIV.
ωυτέων εἰσὶ καρτεροὶ ἄνθρωποι,
μηδὲ αὐτόνομοι, ἀλλὰ δεσπό-
ζονται, οὐ περὶ τουτέου αὐτέοισιν ὁ
λόγος ἐστὶν, ὅπως τὰ πολέμια
ἀσκήσωσιν, ἀλλ᾽ ὅκως μὴ δόξω-
σι μάχιμοι εἶναι. οἱ γὰρ κίνδυνοι
οὐχ ὅμοιοι εἰσίν. τοὺς μὲν γὰρ στρα- XXV.
τεύεσθαι εἰκὸς, καὶ ταλαιπωρέειν,
καὶ ἀποθνήσκειν ἐξ ἀνάγκης ὑπὲρ
τῶν δεσποτῶν, ἀπό τε παιδίων,
καὶ γυναικὸς ἐόντας, καὶ τῶν λοι-
πῶν φίλων. καὶ ὁκόσα μὲν ἂν
χρηστὰ καὶ ἀνδρεῖα ἐργάσωνται, οἱ
δεσπόται ἀπ᾽ αὐτέων αὔξονταί τε
καὶ ἐκφύονται. τοὺς δὲ κινδύνους
καὶ θανάτους αὐτοὶ καρποῦνται.
ἔτι δὲ πρὸς τούτοισιν τῶν τοιού- XXVI.
των ἀνθρώπων, ἀνάγκη ἐρη-
μοῦσθαι τὴν γῆν ὑπό τε ἀπο-
λεμίων καὶ ἀργίης. ὥστε καὶ εἴ-
τις φύσει πέφυκεν ἀνδρεῖος καὶ εὔ-
ψυχος, ἀποτρέπεσθαι τὴν γνώ-
μην ἀπὸ τῶν νόμων. μέγα δὲ τεκ-
μήριον τούτων. ὁκόσοι γὰρ ἐν τῇ XXVII.
Ἀσίῃ Ἕλληνες ἢ βάρβαροι μὴ
δεσπόζονται, ἀλλ᾽ αὐτόνομοί εἰ-
σι, καὶ ἑωυτέοισιν ταλαιπωρεῦ-

σιν, οὗτοι μαχιμώτατοί εἰσι πάντων· τοὺς γὰρ κινδύνους ἑωυτέων προκινδυνεύουσιν, καὶ τῆς ἀνδρείης αὐτέοι τὰ ἆθλα φέρονται, καὶ τῆς δειλίης τὴν ζημίην ὡσαύτως.
Text. XXVIII. Εὑρήσεις δὲ καὶ τοὺς Ἀσιηνοὺς διαφέροντας αὐτοὺς ἑωυτέων, τοὺς μὲν βελτίονας, τοὺς δὲ φαυλοτέρους ἐόντας. τουτέων δὲ αἱ μεταβολαὶ αἴτιαι τῶν ὡρέων, ὥσπερ μοι εἴρηται ἐν τοῖς προτέροισι. καὶ περὶ μὲν τῶν
XXIX. ἐν τῇ Ἀσίῃ οὕτως ἔχει. ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ἐστὶν ἔθνος σκυθικὸν, ὃ περὶ τὴν λίμνην οἰκεῖ τὴν
XXX. Μαιῶτιν, διαφέρον τῶν ἐθνέων τῶν ἄλλων, Σαυρομάται καλεῦνται. τουτέων αἱ γυναῖκες ἱππάζονταί τε καὶ τοξεύουσιν, καὶ ἀκοντίζουσιν ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ μάχονται τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ἔωσιν. οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι. καὶ οὐ πρότερον συνοικέουσιν, ἤπερ τὰ ἱερὰ θύουσαι τὰ ἐν νόμῳ. ἣ δ' ἂν ἄνδρα ἑωυτῇ ἄρηται, παύεται ἱππαζομένη, ἕως ἂν μὴ ἀνάγκη καταλάβῃ παγκοίνου στρα-
XXXI. τείης. τὸν δεξιὸν δὲ μαζὸν οὐκ ἔχουσιν. παιδίοις γὰρ ἐοῦσιν ἔτι

faciunt, illi bellicosissimi omnium existunt. Periclitantur enim ipsi sibi, virilitatisque præmia ipsi reportant, sicut timiditatis ac ignauiæ pœnam luunt pariter. Inuenias autem & Asianos ipsos inter se plurimum differentes, generosiores alios, alios degeneres: quorum omnium causa ad temporum mutationes est referenda, quemadmodum in præcedentibus dixi. Atque sic quidem habet in Asia. In Europa verò genus hominum est Scythicum, circa paludem habitans Mæotim, quod à reliquis gentibus maximè differt. Sauromatæ appellantur. Harum fœminæ equites sunt, arcubus vtuntur, ac sagittas iaculantur ex equis, cum hostibus congredientes, dum virgines existunt: neque deuirginantur prius, quam hostium tres confecerint: neque prius maritis cohabitāt, quam sacra Deo patrio more fecerint. Quod si qua sibi virum acceperit, ab equitatu libera est, nisi necessitas cogat communi expeditione omnes arma sumere. Dexteram autem mammam non habent. Nam puellis adhuc

infantibus matres æreo instrumento in hunc vsum parato, igneque candefacto eam auferunt, ac exurunt, ne iterum succrescere contingat, atque vt omnis vis ac robur in dextrum humerum & brachium deferatur. Cæterum reliqui Scythæ quod ad formam attinet, ipsi sibi similes sunt, aliis dissimiles. Sicut quoque Ægyptij inter se: præterquam quod hi à vehementi calore, illi ab intenso frigore sunt compressi. Verum solitudo quæ Scythica dicitur, in planitie sita est, pratis abundans, sublimis, & mediocriter aquosa. Sunt enim fluuij in ea magni, in quos aqua ex campis per riuos deducitur. In hac itaque Scythæ degunt, qui Nomades vocantur, propterea quod nullas habeant domos, sed in curribus habitant. Sunt autem currus, ex quibus minimi quatuor rotis, reliqui sex circumaguntur. Sunt etiam luto obturati, ac instar domorum fabrefacti, aliqui simplici, aliqui etiam triplici tabulato. Vnde robur illis inest aduersus omnes iniurias aquarum, niuis ac ventorum propellendas. Trahunt currus aliquos

νηπίοις, αἱ μητέρες χάλκεον τετεχνημένον ἢ ἐπ' αὐτῷ τοῦτο διάπυρον ποιέουσαι, πρὸς τὸν μαζὸν τιθέασι τὸν δεξιὸν, καὶ ἐπικαίεται, ὥστε τὴν αὔξησιν φθείρεσθαι, ἐς δὲ τὸν δεξιὸν ὦμον καὶ βραχίονα πᾶσαν τὴν ἰσχὺν, καὶ τὸ πλῆθος ἐκδιδόναι. περὶ δὲ τῶν λοιπῶν Σκυθέων τῆς μορφῆς, ὅτι αὐτοὶ αὑτοῖσιν ἐοίκασι, καὶ οὐδαμῶς ἄλλοις, ωὑτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν Αἰγυπτίων, πλὴν ὅτι οἱ μὲν ὑπὸ τοῦ θερμοῦ εἰσὶ βεβιασμένοι· οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ.

ἡ δὲ Σκυθέων ἐρημίη καλευμένη, πεδιάς ἐστι, καὶ λειμακώδης, καὶ ψιλὴ, καὶ ἔνυδρος μετρίως. ποταμοὶ γάρ εἰσι μεγάλοι, οἳ ἐξοχετεύουσι τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν πεδίων. ἐνταῦθα καὶ οἱ Σκύθαι διαιτεῦνται, Νομάδες δὲ καλεῦνται, ὅτι οὐκ ἔστιν οἰκήματα, ἀλλ' ἐν ἁμάξαις οἰκεῦσιν. αἱ δὲ ἅμαξαί εἰσιν, αἱ μὲν ἐλάχισται, τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι, αὗται δὲ πίλοις περιπεφραγμέναι. εἰσὶ δὲ καὶ τετεχνασμέναι, ὥσπερ οἰκήματα τὰ μὲν ἁπλᾶ, τὰ δὲ τριπλᾶ. ταῦτα δὲ καὶ στεγνὰ πρὸς ὕδωρ, καὶ πρὸς χιόνα, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα. τὰς δὲ ἁμάξας ἕλκουσι ζεύγεα, XXXII.

τὰς μὲν δύο, τὰς δὲ τρία βοῶν κέρως ἄτερ. οὐ γὰρ ἔχουσι κέρατα ὑπὸ ψύχεος. ἐν ταύτῃσι μὲν οὖν τῇσιν ἁμάξῃσι γυναῖκες διαιτεῦνται. αὐτοὶ δ' ἐφ' ἵππων ὀχεῦνται οἱ ἄνδρες. ἕπονται δὲ αὐτέοισι καὶ τὰ πρόβατα ἐόντα, καὶ αἱ βόες, καὶ οἱ ἵπποι. μένουσι δ' ἐν τῷ αὐτέῳ τοσοῦτον χρόνον, ὅσον ἂν ἀπόχρῃ αὐτέοισιν τοῖς κτήνεσιν ὁ χόρτος. ὁκόταν δὲ μηκέτι, εἰς ἑτέρην χώρην ἔρχονται. αὐτοὶ δ' ἐσθίουσι κρέα ἑφθὰ, καὶ πίνουσι γάλα ἵππων. καὶ ἱππάκην τρώγουσιν, τοῦτο δ' ἐστὶ τυρὸς ἵππων. τὰ μὲν εἰς τὴν δίαιταν αὐτέων οὕτως ἔχει καὶ τοὺς νόμους, περί τε τῶν ὡρέων καὶ τῆς μορφῆς, ὅτι πολὺ ἀπήλλακται τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὸ Σκυθικὸν γένος, καὶ ἔοικεν αὐτὸ ἑωυτέῳ, ὥσπερ τὸ Αἰγύπτιον. καὶ ἥ-

TEXT XXXIII. κιστα πολύγονον ἐστίν. καὶ ἡ χώρη ἐλάχιστα θηρία τρέφει κατὰ μέγεθος καὶ πλῆθος. κεῖται γὰρ ὑπ' αὐταῖς ταῖς ἄρκτοις, καὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς Ῥιπαίοισιν, ὅθεν ὁ βορέης πνέει. ὅτε ἥλιος τελευτῶν ἐγγύτατα γίγνεται, ὁκόταν ἐπὶ τὰς θερινὰς ἔλθῃ περιόδους, καὶ τότε ὀλίγον χρόνον θερμαίνει. καὶ οὐ

quidem boum paria duo, aliquos tria: atque hi cornibus carent, quum præ frigore regionis cornua eis non enascantur. In his itaque curribus degunt mulieres. In equis autem vehũtur viri. Sequuntur autem simul oues, boues & equi. Tandiu deinde in vno subsistunt loco, dum sufficit ipsis pecoribus pabulum, quo deficiente in aliam regionẽ commigrant. Vescuntur autem ipsi carnibus coctis: bibuntque lac equinum: comedunt etiam hippacen, id autem est caseus equinus. Hactenus ergo de victu & moribus diximus, temporibusque anni ac formis, quæ à reliquis hominibus longissimè sunt Scythicæ genti diuersæ. Ipsa enim sibi inter se gens similis existit, quemadmodum & gens Ægyptiorum. Minime autem fœcunda ea gens est: regioque ipsa minimas feras enutrit, neque numero, neque magnitudine insignes. Sub ipsis enim Vrsis Riphæisque montibus sita est, vnde boreas spirat, solque ipse supremo æstiuo. Solstitio deficiens proxime accedit, ac tum quidem exiguo tempore calefacit. Neque

vero venti à calidis locis spirantes valde ad eam regionem penetrant, nisi parum per & debiles. Verum ab Vrsis venti procedentes sunt illic perpetuò frigidi, à niuibus, glacie, imbribusq; condensati: qui nunquam à mõtibus decedunt, vt propterea etiam ægrè habitari possint. Aërque ipse totum ferè diem nubibus campos occupat. Ipsi verò in humidis locis degunt, & ferè perpetua est ipsis hyems, æstas autem paucissimis diebus, atque illis non valdè multa. Sunt enim planities eminentiores, & nudæ, neque vllis montibus circumseptæ, sed ferè sub ipsis Vrsis ac liues. Neq; ferę nascũtur illic magnæ, sed quales possibile est sub ipsa terra contegi. Prohibet enim hyems & nuditas terræ, quæ & diuerticulis & vmbraculis caret, propter temporum anni mutationes, neque multas, neque fortes, sed similes semper; vel parum admodum diuariantes: vnde & formas corporum inter se similes habent, quum eodem vtantur victu & amictu, æstatis & hyemis tempore: attrahuntque aërem condensatum, aquam insuper bibentes à niuib. & glacie resolutã,

σφόδρα τὰ διαπνεύματα τὰ ἀπὸ τῶν θερμῶν πνέοντα ἀφικνέεται, ἢν μὴ ὀλιγάκις καὶ ἀσθενέα, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἄρκτων ἀεὶ πνέουσιν πνεύματα ψυχρὰ ἀπό τε χιόνος καὶ κρυστάλλων, καὶ ὑδάτων πολλῶν. οὐδέποτε δὲ τὰ ὄρεα ἐκλείπει. ἀπὸ τουτέων δὲ δυσοίκητά ἐστιν. ἠήρ τε κατέχει XXXIV.
πουλὺς τῆς ἡμέρης τὰ πεδία. καὶ ἐν νότοισι διαιτεῶνται. ὥστε τὸν μὲν χειμῶνα, ἀεὶ εἶναι. τὸ δὲ θέρος, ὀλίγας ἡμέρας, καὶ ταύτας μὴ λίην. μετέωρα γὰρ τὰ πεδία καὶ ψιλὰ, καὶ οὐκ ἐστεφάνωται ὄρεσιν, ἀλλ' αἰάντη ὑπὸ τῶν ἄρ-
κτων αὐτόθι. καὶ τὰ θηρία οὐ γίνεται μεγάλα. ἀλλ' οἷά τέ ἐστιν TEXT. XXXV.
ὑπὸ γῆν σκεπάζεσθαι. ὁ γὰρ χειμὼν κωλύει, καὶ τῆς γῆς ἡ ψιλότης. καί τοι οὐκ ἔστιν ἀλέα, οὐδὲ σκέπη. αἱ γὰρ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων οὐκ εἰσὶ μεγάλαι, οὐδὲ ἰσχυραὶ, ἀλλ' ὅμοιαι καὶ ὀλίγον μεταβάλλουσαι. διότι καὶ τὰ εἴδεα, ὅμοια αὐτὰ ἑωυτέοις εἰσίν. σίτῳ τε χρέονται ἀεὶ ὁμοίως, ἐσθῆτί τε τῇ αὐτέῃ, καὶ θέρεος, καὶ χειμῶνος. τόν τε ἠέρα ὑδατεινὸν ἕλκοντες καὶ παχύν. τά τε ὕδατα πίνοντες ἀπὸ χιόνος καὶ παγετῶν.

τῦ τε ταλαιπωρέειν ἀπιόντος. οὐ γὰρ οἷοί τε σῶμα ταλαιπωρέεσθαι, οὔτε τὴν ψυχὴν, ὅκου μεταβολαὶ μὴ γίνονται ἰσχυραί. nullo etiam corporis exercitio accedente, quum non verisimile sit corpus aut animum vllis exercitationibus apta fieri, vbi non mutationes temporum fiunt fortes.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Πάλιν αὐτῆς μιῆς ἐπιχωρείης.] Notat Galenus *ad part.* 23. *comm.* 2. *medicatrinæ*, in Hippocratis locutione solœcismum, vel eorum qui exscripserunt errore, vel Hippocr. incuria: Notat idem *ad part.* 1. *comm.* 3. *in lib.* 1. *prorrhetici*, frequentes esse in hoc toto libro solœcismos. Quam & figuram hic notare possumus, cum πόλισμα neutrum non conueniat cum adiectiuis fœmininis, nisi fortè subintelligas aliud substantiuum πόλιν. XX.

ἐκπλήξιες.] Notandum est ex commentario Galeni *ad aph.* 14. *lib.* 7. triplicem esse ἔκπληξιν; vnam ex morbo, alteram ex animi perturbatione, id est, metu. Tertiam addimus ex commentario Galeni *ad aph.* 24. *lib.* 3. quæ fit ex corruptis in puerorum ventriculo cibis. ἔκπληξις ex morbo est, cum ægri nec loquuntur, nec quicquam faciunt, sed oculis apertis in quiete manent. ἔκπληξις ex perturbatione, vt patet ex libro definitionum medicarum Galeni, est mentis alienatio ex repentina aliqua perturbatione. ἔκπληξις ex corrupto cibo refertur ad puerorum magna insomnia propter morsum oris ventriculi. Hic secundam ἔκπληξιν intelligere debemus: in qua ex metu mali, reuocatis intrò spiritibus & sanguine, ira postea exardescit. Sic enim & Galenus *cap.* 6. *lib.* 2. *temperament.* inquit septentrionalium frigidam humidamque esse cutim, sed calorem & spiritum intrò compelli, qui agitatione pressus & efferuescens audaciam, iram & animositatem suggerit. XXI.

τὴν ὀργὴν ἀγριοῦσθαι.] Quid sit iram efferari declarat Galenus *ad part.* 9. *sect.* 5. *lib.* 6. *epid.* cum videlicet cordis & arteriarũ vehementiores sunt pulsus, attracto ab hepatis officina & sanguine & calore, qui postea in superiora elatus, oculos efferatiores reddit, & sanguinis in ipso pulmone efferuescentia ad oris labia spumam producit, vt notat Galenus *in libro de cognoscendis animi morbis.* Quod autem mentis ἔκπληξις, id est, ingens perculsio & indignatio id præstet, patet ex Vlysse apud Galenum *cap.* 3. *lib.* 3. *de decretis Hippocr. & Platonis*; qui propter seruorum suorum flagitia indignatus, in iram ratione potentiorem prorupit.

τῆς γνώμης καὶ θερμοῦ.] Inquit Hippocrates & mentis & caloris esse

magis participes eos, apud quos magnæ caloris & frigoris mutationes fiunt, quàm eos qui sunt in regione maximè temperata. Sed videtur esse hoc contra disciplinam aliorum Philosophorum. Nam Plato *in Timæo* inquit temperatæ regionis homines omnium esse ingeniosissimos. Et apud Aristotelem *cap. 2. lib. 2. de part. animal.* perfecto sunt ingenio hi, qui sanguinem calidum, tenuem, & sincerum habent. Sed primùm notare debes, hîc eam intelligi caloris & frigoris commutationem, quæ fiat per successionem tempestatum naturalem, non autem per alterationem. Secundò notare debes, non simpliciter Hippocratem dicere eiusmodi homines esse maximè participes ingenij, sed ingenij & caloris, id est, animi summi, *de grand courage*. Proinde quæ scribit Aristoteles *cap. 7. lib. 7. politicῶn* faciunt ad Hippocratis explicationem. Hic enim Aristoteles duas virtutes animæ, scilicet θυμὸν, id est, fortitudinem; καὶ διάνοιαν, id est, intelligentiam considerat separatim & coniunctim hoc modo. Europæi, & quicunque sunt septentrionales, sunt fortitudine pleni, sed intellectus indigent: Asiani, & quicunq; sunt in regione temperata, sunt ingeniosi, sed imbelles: Græci autem, & quicunque medij sunt inter Asianos & Europæos, participes sunt vtriusque virtutis, & fortitudinis, & intelligentiæ. Atque sic hoc loco vult Hippocrates regionem, quæ habeat frigoris & caloris vicissitudinem naturalem, excellere & ingenio & robore.

XXVI. μὴ δόξωσι.] Asianos nolle videri bellicosos satis ostendit ille Xerxis exercitus, qui cum contineret peditum centum & sexaginta myriadas, id est, decies octies centena millia; in nauali exercitu quingenta millia, equestri octoginta, in camelis viginti millia: tamen fusus est pauca Græcorum manu.

XXVII. ἢ βάρβαροι.] Huius vocis is est vsus apud Latinos, vt omnes non Romani, & omnes non Græci dicantur Barbari. Apud Græcos autem is est vsus, vt Græci omnes præter se, Barbaros appellent. Putat autem Strabo *geographiæ* 14. hanc vocem esse fictam ex onomatopœia, quod qui Græcè nescirent & discerent, inciderent in vitium huius vocis nihil significantis βαρβάρ. Scaliger tamen *exercit.* 51. *in Cardan.* contendit hanc vocem esse Arabicam, & significare perinde ac murmur, primosque Nomades ab Arabibus appellatos esse barbaros, propter inconcinnam loquendi rationem.

XXIX. ἔθνος σκυθικόν.] Scythia nomen est generale, quod extenditur ad varios populos, tam Asiæ quàm Europæ. Sed postea iis solis relictum nomen est, qui penitissimos, tam Europæ quàm Asiæ fines incolunt. Tota illa gens nunc Tartaria dicitur. Asiani autem Scythæ, nunc sunt Moschouitæ: Europæi autem sunt Prussij, Russij, Lithuani, Liuonij, Poloni. Dictique sunt Sauromatæ Græcis, ἀπὸ τῶν τῆς σαύρας ὀμμάτων, id est, à lacertarum oculis, quod videlicet sunt oculo rauo, aut certè cæsio.

XXX. ἱππάζονταί τε.] Apud Platonem *lib. 5. de republica & lib. 7. de legibus*, ista mulierum viuendi ratio probatur, laudanturque Amazones Saurома-

tides, quod arcu, equo & armis vtantur. Vult enim Philosophus eadem omnino virorum & mulierum esse exercitia, vt dum viri tractant arma foris, ipsæ ciuitatem contra repentinas incursiones tueantur. Aristoteles autem, *toto secundo politicῶn*, hanc viuendi formam reprehendit. XXXI.

τὸν δεξιὸν δὲ μαζόν.] Vt colligere est ex Hippocrate *sect. 3. lib. de artic.* quæcunque hîc de Scythis & Amazonibus scribuntur, ex auditu magis scribuntur, quàm quod ipse viderit. Sed Hippocrates recedit à cōmuni Historicorum sententia. Omnes enim volunt Amazones sibi regionem sine viris habere, & cum Sarmatas superassent, ea conditione fœdus percusserunt, vt Sarmatæ ad præstitutum tempus certo loco sobolis propagandæ causa cum eis congrederentur. Ideoque Plinius *c. 7. lib. 4. nat. hist.* Sarmatas appellauit γυναικοκρατουμένους, id est, qui mulierum imperio subseruirent.

χάλκεον.] Aristoteles *problem. 33. & 36. sect. 1.* ait æs ferro esse præstantius ad incidendum & vrendum: Ad primum, quoniam leuius est, & minus lacerat: Ad secundum, quoniam mollius est, calorque in eo non adeo fixus, proindeque minus vrat.

ἐς δὲ τὸν δεξιὸν ὦμον.] Vt aliqua pars ex vicinæ partis incommodis sua faciat commoda, quinque requiruntur. Primum est, vt æger nondum ad iustum incrementum peruenerit, *per part. 80. sect. 3. lib. de artic.* Secundū, vt pars quæ roboranda est, naturali atrophia non laboret. Tertium, vt sit vasorum communio. Quartum, vt nulla sit roborandæ partis dearticulatio. Quintum, vt frequens sit ipsius exercitium, *per part. 81. eiusd. sect. & lib.* Nam, vt inquit Galenus *in commentario*, exercitatio, vt carnes diminuit, ita etiam solidas fibras carnis auget, & proinde robur. Quod si articuli luxatio est, pars torpore effœminatur, vt inquit Hippocrates *part. 82.* Vt igitur *part.* 83. ex tabe vnius cruris propter dearticulationē sequitur alterius corroboratio, propter copiosum alimenti affluxum: sic etiam ex mammæ vstione corroborabitur humerus & brachium, quoniam axillaris vena cum interioribus partibus pectoris, & humeraria cum exterioribus communicat. Peccabant interim tamen istæ mulieres, quoniam vt est apud Hippocr. *lib. 3. de morb.* suppuratum quod vrendum est, periculosius erat in dextra, quàm in sinistra pectoris parte: quanto enim dextræ partes sinistris robustiores sunt, tanto fortiores in ipsis morbi contingunt.

ἐν αὐτῇ.] Cum supposuerit Hippocrates, mutationem formarum esse ex caloris & frigoris magna vicissitudine, Scythę cum sint in perpetuo frigore, seruabunt eandem figuram. Item Ægyptij cum sint in perpetuo calore. Scythas esse in frigore perpetuo patet, quia sunt in septimo climate. Ægyptios esse in perpetuo calore patet ex Ægypti diuisione: est enim vlterior atque citerior. Vlterior appellatur Æthiopia, quæ continet primum & secundum clima. Citerior est sub tertio climate. Solum autem quartum temperatum est. Plato item *in Epinomide* inquit apud Ægyptios summam esse æstiui temporis sereni-

tatem, quia hîc nec imbres nec pluuia: ergo calor maior.

XXXII. ἐρήμη καλευμένη.] Sic Plinius *cap.1.lib.4.* appellat deserta Sarmatiæ, id est, vt vertit interpres Gallicus, regnum Tartarorum. Et extenduntur eiusmodi deserta vsque ad flumen Vistulam, quæ nunc regio Polonia vocatur à dictione Illyrica *pole*, id est, planum. In hac planitie Plinius *c.12. lib.4.* ponit Amaxouios, ita nuncupatos, quod in curribus viuant: Itemque Nomades, sic dictos à νέμειν, quod est pascere; quoniam eorum omnes opes in pecudibus sint. Reperiuntur autem tres populi hoc nomine. Sunt enim Nomades Arabici, Numidici, & Scythici: vtunturque tabernaculis omnes, quæ motoria sint, vt patet ex Plinio *cap.3.lib.5.*

κέρως ἄπρ.] Secundum Hippocratem *in libro de carnibus*, quinque sunt generationis principia, tria materialia, duo efficientia. Materialia sunt tria; pingue, quod calidum est; glutinosum, quod frigidum est; humidum, quod calorem & frigus recipere potest. Efficientia duo sunt, calor & frigus. Pingue, vbi calore vstum est, gignit ossa & cartilagines. Glutinosum, quoniam à calore totum superari non potuit, neruos, ligamenta, & omnes membranas generauit. Humidum, quod frigore concreuit, fecit viscerum parenchymata, quæ postea calore roborantur: Calore autem humidum liquatum fecit humores. Et quoniam vnguium ossiumque generatio est eadem, sequitur vngues, & quæ vnguibus respondent, vt cornua caloris intensione gigni ex materia terrena, quæ sit capitis recrementum, vt docet Galenus *cap.3.l.6.anatom. administr.* Quod si cornua calore gignuntur, & hic calor apud Scythas nimio frigore syderetur, boues sine cornibus sunt futuri. Aristoteles *cap.4.lib.2.de animal. generatione*, eandem fermè sequitur philosophiā. Contendit enim ex resudatione alimenti à venis, per concretionem frigoris generari carnes: sed vi caloris humorem siccantis neruos & ossa fieri: vngues & cornua à frigore. In hoc discrepat Aristoteles ab Hippocrate, quod neruorum generationem calori, cornuum & vnguium frigori assignet.

ἱππάκην.] Versus est Martialis

Currit & epoto Sarmata pastus equo.

Lac enim iumentorum cum equino sanguine miscebant & edebant. Caseum autem, teste Hippocrate *lib.4.de morbis*, in vasis ligneis cauis ex lacte equino conficiebant. Quem caseum Plinius *lib.28. cap. 9. & c. 14.* hippacen appellat; earundemque virium cum bubulo esse contendit, qui facultatis est astringentis, & proinde dysentericis atque cœliacis confert.

οὐ πολύγονον.] Quod pronuntiauit Aristoteles: *Homo & sol hominem generant*, id vniuersalius dici potest: *Animal & sol animal generant.* Et quod pronuntiauit Hippocrates *aph.63.lib.5. Intemperatos homines non esse fœcundos, nisi cum contraria temperatura mulieribus coeant*: rursum vniuersaliter de omni animali enuntiari potest. Ex his autem dependet demonstratio, cur Scythæ sint infœcundi. Cum enim sol remotissimus

sit ab illis, & cum mas intemperatus in frigore, cum similis intemperiei fœmina congrediatur, fœcunditas esse nullo modo potest.

τοῖς ῥιπαίοισι.] Ex hoc loco patet, Hippocratem loqui de Scythis, qui sunt sub septimo climate, proindeque frigidissimo, quod à Riphæis montibus nomen accepit. Quanta sit autem montium Riphæorum frigiditas, patet ex Pterophoro regione, propterea quod perpetuas habet deciduas niues, plumarum similitudinem in longitudine referentes, sic dicta. Vnde concludit Plinius *cap.* 12. *lib.* 4. regionem esse à natura damnatam. Ex hac regione & crystallus habetur lapis, qui à glacie nomen refert, vt notat Plinius *lib.* 37. *cap.* 21. Etsi enim non facile liquetur igne, tamen glacies est: sed ea, quæ propter supremum concretionis gradum lapidis naturam induit. Quod enim tandem igne soluatur, hoc aquæ dat argumentum, iuxta Philosophi axioma, *omnium liquabilium pars est aqua.* Quod autem crystallus in aquam proiectus petat fundum, hoc naturæ lapideæ, quam sibi assumpsit, signum est, quia omnis tenuitas nimio gelu euanuit, vt supra docuit Aristoteles.

TEXT. XXXVI. Διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας, τὰ εἴδεα αὐτῶν παχέα ἐστὶ καὶ σαρκώδεα, καὶ ἄρθρα καὶ ὑγρὰ, καὶ ἄτονα. αἵ τε κοιλίαι ὑγρόταται πασέων κοιλιῶν αἱ κάτω. οὐ γὰρ οἷόν τε νηδὺν ἀναξηραίνεσθαι ἐν τοιαύτῃ χώρῃ καὶ φύσει καὶ ὥρης καταστάσει. ἀλλὰ διὰ πιμελήν τε καὶ ψιλὴν τὴν σάρκα, τά τε εἴδεα ἔοικεν ἀλλήλοισιν, τά τε ἄρσενα τοῖς ἄρσεσιν, καὶ τὰ θήλεα τοῖς θή-

XXXVII. λεσιν. τῶν γὰρ ὡρέων παραπλησίων ἐουσέων, φθοραὶ οὐκ ἐγγίνονται, οὐδὲ κακώσιες ἐν τῇ τοῦ γόνου ξυμπήξει. ἢν μή τινος ἀνάγ-

XXXVIII. κης βιαίου τύχῃ ἢ νούσου. μέγα δὲ τεκμήριον ἐς τὴν ὑγρότητα παρέξομαι. Σκυθέων γὰρ τοὺς πολ-

Propter quas causas formæ eorum sunt crassæ & carnosæ: iuncturæ verò humectæ & inefficaces, ventriculique humidi omnes, maximè omnium tamē inferior aluus. Nequit enim ipsa exsiccari in eiusmodi quum regionis, tum naturæ & temporis constitutione. Sed pinguedine & nuditate carnis formæ inuicem sunt similes, masculorum masculis, & fœminarum femellis. Tempora enim quum sint inter se similia, nullas corruptiones, neque malignitates inferunt in seminis genitalis mixturam ac compactionem, nisi quiddam aliud fortuito vel casu contingat, aut à morbo. Magnum autem argumentū humiditatis corporum Scytharum hoc exhibebo. Multos enim

ipsorum, præcipuè qui Nomades sunt, reperias exustos humeros, ac brachia habentes, manuumque iuncturas, pectora, coxas & lumbos, nullam sanè aliam ob causam, nisi ob humoris & mollitiei naturæ detractionem. Nam neque arcus intendere, neque telum torquere possunt præ impotentia humiditatis humerorum: quum autem vruntur, humor ipse à iuncturis exoluitur, fiuntque corpora ipsorum validiora, melius nutriuntur, & magis redduntur articulorum vsu potentia. Fluida verò fiunt, ac lata primum, propterea quod fasciis non colligantur, quemadmodū fieri solet in Ægypto. Deinde quod non animaduertunt, quomodocunque inter equitandum equis insideant. Postremum etiam propter desidiam perpetuam. Masculi enim eorum antequam potentes fiant equos conscendere, atque in illis vehi, plurimum temporis desident in curribus, raroque prodeunt vt inambulent, propter exilia ac perpetuas circulationes. Muliebrium autem corporum formæ ad miraculum vsque fluxæ existunt.

λοὺς, ἀπολύτως ὅσοι Νομάδες, εὑρήσεις κεκαυμένους τούς τε ὤμους, καὶ τοὺς βραχίονας, καὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν, καὶ τὰ στήθεα, ἰσχία, καὶ τὴν ὀσφὺν, δι' ἄλλ' οὐδὲν, ἢ διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσιος καὶ τὴν μαλακίην. οὐ γὰρ δύνανται, οὔτε τοῖς τόξοις ξυντείνειν, οὔτε τῷ ἀκοντίῳ ἐμπίπτειν τῷ ὤμῳ ὑπὸ ὑγρότητος καὶ ἀτονίης. ὁκόταν δὲ καυθῶσιν, ἀναξηραίνεται ἐκ τῶν ἄρθρων τὸ πολὺ τοῦ ὑγροῦ· καὶ ἐντονώτερα μᾶλλον γίγνεται, καὶ τροφιμώτερα, καὶ ἠρθρωμένα τὰ σώματα μᾶλλον.
ῥοϊκὰ δὲ γίγνεται καὶ πλατέα. XXXIX.
πρῶτον μὲν ὅτι οὐ σπαργανοῦν-
ται, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ. οὐδὲ XL
νομίζουσιν διὰ τὴν ἱππασίην, ὅκως ἂν εὔεδροι ἔωσιν. ἔπειτα δὲ διὰ τὴν ἕδρην. τά τε γὰρ ἄρσενα ἕως ἂν οὐχ οἷά τε ἐφ' ἵππου ὀχέεσθαι, τὸ πολὺ τοῦ χρόνου κάθηται ἐν τῇ ἁμάξῃ, καὶ βραχὺ τῇ βαδίσει χρέονται, διὰ τὰς μεταναστάσιας καὶ περιελά-
σιας. τὰ δὲ θήλεα θαυμαστὸν οἷον XLI
ῥοϊκὰ εἶναι τὰ εἴδεα. πυῤῥὸν δὲ τὸ XLII
γένος ἐστὶν τὸ Σκυθικὸν διὰ τὸ ψυ-

Porro Scytharum gens fului valdè coloris existit, propter fri-

χος, οὐκ ἐπιγινομένου ἰξέως τοῦ
ἡλίου. ὑπὸ δὲ τοῦ ψύχεος, ἡ λευ-
κότης ἐπικαίεται, καὶ γίγνεται πυῤ-
XLIII. ῥή. πολύγονον δὲ οὐχ οἷόν τε εἶναι
φύσιν τοιαύτην. οὔτε γὰρ τῷ ἀν-
δρὶ ἡ ἐπιθυμίη τῆς μίξιος γίνεται πολ-
λή, διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσιος, καὶ
κοιλίης τὴν μαλακότητά τε καὶ τὴν
ψυχρότητα ἀπὸ τῶν, ἥκιστα εἰκὸς εἶ-
XLIV. ναι ἄνδρα οἷόν τε λαγνεύειν. καὶ ἔτι
ὑπὸ τῶν ἵππων αἰεὶ κοπτόμενοι,
ἀσθενέες γίγνονται εἰς τὴν μίξιν. τοῖσι
μὲν ἀνδράσιν αὗται αἱ προφάσιες
XLV. γίγνονται. τῇσι δὲ γυναιξὶν, ἥ τε πιό-
της τῆς σαρκὸς καὶ ὑγρότης. οὐ γὰρ
δύνανται ἔτι ξυναρπάζειν αἱ μῆ-
XLVI. τραι τὸν γόνον. οὔτε γὰρ ἐπιμή-
νιος κάθαρσις αὐτέῃσι γίγνεται ὡς
χρεών ἐστιν, ἀλλ' ὀλίγον καὶ διὰ
χρόνου. τό, τε στόμα τῶν μητρέων
ὑπὸ πιμελῆς ξυγκλείεται, καὶ
οὐχ ὑποδέχεται τὸν γόνον. αὗταί
τε ἀταλαίπωροι καὶ πιεραί. καὶ
αἱ κοιλίαι ψυχραὶ καὶ μαλακαί.
καὶ ὑπὸ τουτέων τῶν ἀναγκαίων
οὐ πολύγονόν ἐστι τὸ γένος τὸ Σκυ-
θικόν. μέγα δὲ τεκμήριον αἱ οἰ-
κέτιδες ποιέουσιν. οὐ γὰρ φθά-
νουσι παρὰ ἄνδρα ἀφικνεύμε-
ναι, καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι διὰ τὴν

gus ingens. Non enim vehemens accidit ad eos sol, à frigore vero albedo exuritur, & fit fulua. Neque vero possibile est fœcundam esse eorum naturam, quum viri minimè cupidi sint cum fœminis commisceri, ob nimiam corporis liquiditatem, ventrisque mollitiem & frigiditatem: quæ causę apparent, minimè viros ad coitum incitari. Accedit his lassitudo ex continua equitatione cōtracta, quæ eos ad commistionem reddit impotentiores. Atque hæ sunt causæ, cur viri infœcundiores putentur. Mulieres pinguedo carnis & humiditas steriles facit: præ quibus vteri earum genitale semen nequeunt cōtinere. Lunares namque purgationes eis non eueniunt, quemadmodum est necesse, sed minus & intempestiuè per longum tempus. Ipsumque amplius vteri os præ pinguedine concluditur, vt nequeat semē suscipere. Sunt enim otiosæ & pingues, ventresq; earũ frigidi & molles, vnde necessario sequitur, non multum fœcundam Scytharum gentem esse, cuius rei famulæ earum indicium exhibent. Nam etsi hæ misceri cum viris non appetant, in vtero tamen conceptũ continent,

propter corporis exercitium carnisque gracilitatem. Amplius autem plurimi Scythæ Eunuchi fiunt, & muliebria officia obeunt, instarque fœminarum omnia faciunt, & loquuntur, vocanturque hi effœminati. Et regionis quidem incolæ causam ad Deũ referunt, coluntque hos ipsos homines, & adorant, sibi ipsis timentes ne quid tale accidat.

ταλαιπωρίην, καὶ ἰσχνότητα τῆς σαρκός. ἔτι τε πρὸς τουτέοισιν εὐνουχίαι γίνονται οἱ πλεῖστοι ἐν Σκύθῃσι, καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται, καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονταί τε ὁμοίως, καλεῦνταί τε οἱ τοιοῦτοι ἀνανδριέες. οἱ μὲν ἐπιχώριοι τὴν αἰτίην προστιθέασι θεῷ, καὶ σέβονται τουτέους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ προσκυνέουσι, δεδοικότες περὶ τε ωὐτέων ἕκαστοι. XLVII

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

Διὰ ταύτας τάς.] Hic totus locus videtur esse contrarius textui 20. sect. 1. huius libri. Illic enim dicebat septentrionales homines esse vegetos & siccos, ventre superiore biliosos, inferiore verò crudos: hic contra facit eosdem humidissimos & pituitosissimos. Sed notandum est duplicem esse septentrionalem regionem. Vnam, in qua frigus superat antiperistasin. Alteram, in qua antiperistasis superat ipsum frigus. Posterioris generis sunt septentrionales sexti climatis. Prioris autem septentrionales qui sunt in septimo, vt Scythæ. Et hi tribus de causis habent aluos humidissimas. Prima est, quia cum sint frigidiore ventriculo, plus appetunt, quàm coquere possint. Secunda, quia cum sit hepar illorum frigidum, debilius attrahit. Quæ duæ causæ sunt apud Galenum *comm. ad aph.* 20. *lib.* 2. alui humidioris per excrementum primæ coctionis. Tertia causa est nimia cerebri humiditas ex refrigeratione aëris, quæ exprimitur in partes subiectas, vnde aluus redditur humidior per excrementum tertiæ coctionis. XXXVI.

ἄρθρα ἄνυγρα.] Galenus *ad aph.* 16. *lib.* 3. ait oleosam humiditatem additam esse articulis ad faciliorem motum, & hæc est naturalis. Sed *per part.* 25. *sect.* 1. *lib. de artic.* est alia articulorum superflua humiditas, quæ procedit, partim ab articulorum naturali imbecillitate (nam vt idem scribit *ad part.* 16. *sect.* 7. *lib.* 6. *epid.* articulus siue secundum naturam constitutus, siue præter, semper est debilis) partim à ligamentorum laxitate.

φθοραὶ νύκ.] Hic redditur causa, cur ex magna mutatione caloris & XXXVII.
frigoris

frigoris fiat formarum dissimilitudo; quod videlicet isthæc mutatio humiditatem seminalem deprauet, & degenerem reddat. Nam, vt scribit Aristoteles *cap. 4. lib. 4. de generat. animal.* naturæ semper scopus est marem generare, adeo vt fœminæ procreatio sit instar cuiusdam monstri. Et vt vno verbo dicatur, facultatis generantis hic est scopus, similitudinem generis, formæ & sexus masculi effingere. A quo scopo quotiescunque deerrat, per aliquam corruptionem deerrat, id est, per Aristotelem *cap. 2. & 3. eiusd. lib.* per calorem nondum perfectum, vt in pubere; per caloris defectionem, vt in senibus; & per seminis cruditatem. Hoc autem recte ab Hippocrate vocatur φθορά. Nam *libro 1. de diæt.* maioris in minorem, & huius in illum victoriam corruptionem appellauit. Item Aristoteles *cap. 10. lib. 4. de animal generatione*, inquit, quod à calore aut frigore immodico procedit, corruptionem esse. Et ratio pro Hippocrate stat. Nam omnis ἀλλοίωσις, id est, alteratio quæ fit ad melius, generatio vocatur; quæ autem ad deterius, est quædam corruptio. Ergo quoniam generatio rei dissimilis deterior est, quam rei similis, illa per quandam corruptionem (quam Arist. defectionem appellat) dicetur fieri.

Νομάδες θύρησεις κεκαυμένους] Quinque sunt causæ vrendi; scilicet, vt retineamus, vt cum à putredine erodente ortam hæmorrhagiam caustico sistimus, per Galenum *cap. 4. lib. 5. methodi.* Secunda, vt euacuemus superflua, vt cum hydropes vrimus. Tertia, vt res callosas eradicemus, vt cum vrimus cancros, per Galenum *cap. 10. lib. 2. ad Glauc.* Quarta, vt putredinem terminemus, per Galenum *part. 5. sect. 6. lib. 6. epid.* Quinta, ad tollendam intemperiem ex putredine natam, vt cum cariem profundam ossis vrimus. Sextam addere possemus *ex aph. vlt. lib. 6.* scilicet articulationis corroborationem. Hic igitur vrit Hipp. tam vt superflua educat, quam vt articulos roboret. XXXVIII.

ῥοϊκὰ δὲ γίνεται] Tres ponit causas Hippocrates, cur humiditate Scythæ diffluant. Prima est, quod in lucem editi fasciis non ligentur. Secunda, quod toto pueritiæ tempore in curribus sedeant. Tertia, quod vbi equitare cœperint, immoderate & sine ephippiis id faciant: hoc enim sonat quod subsequitur, ὅκως ἐπὶ δρεῖ. XXXIX.

ἀπαργάνωσις] ἀπαργάνη dicitur fascia: cuius tres sunt partes secundum Galenum *ad part. 22 sect. 2. libri medicatrina*, scilicet circumuolutio, & capita duo, quæ sunt extremitates fasciæ. *Per part. 19. einsd sect.* fascia debet esse lenis, mollis, tenuis munda. *Per part. 26.* lata ad proportionem partis ligandæ. Eius in chirurgia tres scopi; carnis regeneratio, superfluæ materiæ expulsio, & medicamentorum ad suppurationem adhibitorum retentio. Sed pro pueris sanitate fruentibus fasciæ duplex est vsus. Primus est exsiccationis. Secundus conformationis decoræ. Prior vsus confirmatur ex hoc loco, & ex libro primo tuendæ sanitatis, in quo Galenus recens natos sale aspersos fasciis inuoluit siccationis causa. Secundus vsus confirmatur ex historia Galeni, qui puerum partibus superioribus tabescentem, inferioribus autem obesum per fa-

fcias partibus obesis iniectas & sursum adductas decoræ conformationi restituit. Patet & ex partic. 23. lib. 1. de fracturis, vbi idem Galenus inquit, fasciæ proprium esse in vulneribus totum membrum inuolutum in sua figura continere. Patet & ex Plutarcho *in Lycurgi vita*; qui nutricum Lacedæmoniarũ industriam commendat, quod suorum alumnorum membra sine fasciis aptè componerent.

XLII. πυῤῥὸν δὲ τὸ γένος.] Ex disciplina Galeni *cap. 5. lib. 2. temperamentorum*; ex pilis qui nobiscum nascuntur nullum desumimus temperiei argumentum, sed ex iis qui postea nascuntur, vel ex mutatione coloris primorum capillorum, quæ fit secundum ætates. Igitur pilus est niger, vbi alimenti cutanei excrementum forti calore adustum atræ bilis fæculentam materiam repræsentarit. Fit flauus, vbi excrementum minus aduritur, & à bile flaua procedit. Fit albus à pituita putrente, à qua canities. Πυῤῥὸς, id est, fuluus color, medius est inter album & flauum, gigniturque ex pituitæ & bilis commistione: quo fit secundum Aristotelem *lib. 5. cap. 5. de animal generat.* vt rufi citius canescant ob humiditatem, & ipsa πυῤῥότης sit certum debilitatis pilorum argumentum. Itaque Galenus *loco supra citato* ætatibus & regionibus pilorum colores accommodans, inquit septentrionalium & infantium pilos esse fuluos, graciles & paruos: puerorum, puberum, & temperatæ regionis accolarum esse modicè nigros, & mediocriter crassos: florentium ætate & Æthiopum nigros. Quod si quis obiiciat, Hippocratem *part. 6. lib. de diæt. salubri*, qua iubet homines fuluos vti victu humidiore (hoc enim male imperatur, si fului sunt pituitosi) responde cum Galeno fuluos positos esse pro flauis.

ἐπικαίεται καὶ γίνεται πυῤῥή.] Notat hunc loquendi modum Arist. *c. 5. l. 4. meteor.* cum inquit; frigus aliquando dicitur calefacere, aliquando vrere. Primum quidem reuocato calore intrò. Secundum autem contrario quàm ignis modo: hic enim consumendo vrit, frigus autem cogendo, & per compactionem siccando, vt ait idem Arist. *cap. 3. lib. 5. de generat. animal.*

XLIII. πολύγονοι δὲ οὐχ οἷόν τε εἶ.] Cur Scythæ sint infœcundi Hippocrates duas tradit causas, impotentiam Veneris, & deperditam in coitu voluptatem. Causa impotentiç est equitatio assidua sine ephippiis, & propendentibus cruribus, à qua articulorum dolores & claudicationes. Causa autem voluptatis deperditæ aut diminutæ est rursum duplex, humiditas totius corporis, & ventris fluor. Ex hoc contextu Hippocratico hanc sententiam elicere debemus, ad fœcunditatem duo necessaria esse, facultatem validam coëundi, & summam in coitu ex libidine voluptatem. Facultas dependet à vegeto calore, vnde apud Paulum Æginetam *cap. 35. lib. 1.* qui calidi sunt & humidi optime dicuntur coire. Voluptatis autem ex libidine quatuor sunt causæ. Vna est apud Hippocratem *in lib. de nat puer.* scilicet vasorũ dilatatio; tres apud Galenum *cap. 9. lib. 14. de vs. part.* cutis scilicet ex mutuo attritu exactus sensus, spiritus plurimus emanans; & serosæ humiditatis, quam at-

trahunt testes, mordacitas atque acrimonia. Scythæ autem quia frigidi sunt, carent calore vegeto, & proinde spirituum multitudine. Sunt angustis vasis, sunt humoribus minus acribus; & propter frigus externum sunt densiore cute, proindeque minus exacte sentiente. Ergo nec potenter, nec libidinosè coire possunt. De hac re eadem sic & Aristoteles philosophatur. *cap 5. lib. 2. de animal. generat.* Sterilitas aut est ab ortu primo, aut successu temporis. Ab ortu quidem, vt si quis nascatur sine testibus. Sed successu temporis id fit; vel similari morbo, vel organico. Similari tribus modis, intemperie frigida humida totius corporis, aut partis alicuius principis, aut ipsorum testium; idque vel aëris, vel aquæ, vel alimenti vitio, vt est apud eundem *cap. 2. lib. 4. de animal. generat.* Sic pingues, quia sunt pauci seminis; sic ebriosi, quia sunt aquosi seminis, fœcundi non habentur. Organico morbo id contingit partium præcipuè genitalium, idque tribus modis; aut quia nulli testes, aut quia attriti sunt, aut quia pudendum vitio vinculi quod est ad glandem & cutim exteriorem in tentigine redditur obliquum.

ὑπὸ γὰρ θηλυκῶς.] Hippocrates tres ponit causas sterilitatis mulierū; mensium paucitatem, prauitatem, & corporis pinguedinem. Nam vbi pauci menses, vt inquit Hippocrates *in lib. de steril.* effluunt, ibi vasa replentur, proindeque nec semen masculum excipitur, nec fœmineum excernitur, quia nihil inane. Si praui sunt menses, corrumpitur semen, nec fit conceptus. Si dominatur pinguedo totius corporis, omentum crassum & multum intestinis incumbens, os vteri interius claudit, proindeque nullum semen excipitur, vt scribit Hippocrates *ibidem.* Itaque conclusum est *aph. 26. lib. 5. Quæ præter naturam crassæ non concipiunt, iis vteri os omento comprimitur, nec grauidantur, donec extenuentur.* XLVI.

ἢ ἰσχνότητα τῆς σαρκός.] Humidi & calidi (inquit Paulus Ægineta *c. 35. lib. 1.*) sunt fœcundi. Sed per Galenum *aph. 63. lib. 5.* graciles sunt humidi & calidi. Ergo si mulieres pingues instituta viuendi ratione gracilescant, grauidari possunt. Propositio manifesta est, quoniam Venus consistit in humore spermatico & calido. Assumptio patet per Gal. *capi 4. lib. 2. temper.* cum inquit, illud omne quod in sanguine pingue, leue, ac tenue est, illud ipsum in gracilibus in calidi innati alimentum mutari.

ἀνανδρίαι.] Omnis homo redditur infœcundus, aut quoniam exsecti sunt testes atque extracti, aut quoniam contusi, aut quoniam fracti, aut quoniam est obliquum pudendum, aut quoniam citra vitium testiū & pudendi, propter vel totius corporis, vel partis principis habitudinem malam talis est: vnde quinque consurgunt ἀνανδριῶν genera. Quibus enim sunt exsecti testes, dicuntur spadones, & ἐκτομίαι; quibus attriti θλιβίαι; quibus fracti θλαδίαι: vt notat Scaliger *exercit. 277. in Cardanum.* Quibus autem est obliquum pudendum, dicuntur ὑποσπαδιαῖοι Galeno *cap. 3. lib. 15. de vs. part.* Sed qui citra genitalium partium affe- XLVII

ctum effœminati sunt, hi apud Hippocratem & Aristotelem *probl.* 27. *sect.* 4. dicuntur [illegible].

καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονται.] Ex sententia Aristotelis *cap.* 50. *lib.* 9. *hist. animal.* si homines adulti euirentur, immutabuntur quidem voce, sed remanebunt pili iam nati, propterea quod subest humor abundans ad nutritionem eorum; quoniam coitus humorem subducit. Sed si in pueritia castrentur, sine vlla vocis, pilorum aut mollitiei corporis immutatione manent. Nam, vt inquit idem, omnium animalium castratorum hoc commune est vocem in fœmineam mutare. Cuius ipse rationem reddit *probl.* 65. *sect.* 11. cum ait à castratis minus aëris in aspiratione attrahi, & promptius excerni, vnde à velocitate motus vox fit acuta. Sed plenius cum Galeno philosophandum est. Itaque *cap.* 17. *lib.* 1. *de semine*, inquit vt à cerebro sentiendi & mouendi facultas, à corde autem pulsandi: ita quoque à testibus suauis commodius viuendi per vniuersum corpus distribuitur. Idque probat *cap.* 15. *eiusdem libri*, scilicet aliquid distribui in vniuersum corpus à testibus, quoniam castratorum caro si manditur, suauis est: eorum vero animalium quæ testiculos habent, grauis, virosa & mali odoris. Ergo sequitur, vt per amputationem testium frigeant homines euirati, altero insiti caloris principio priuati, indeque laxatis neruis vocem acutiorem edant. Gal. *cap.* 16. *lib.* 1. *de sem.*

Mihi vero hi affectus diuini quidem esse videntur, sicut & reliqui omnes, neque vllum aliquem alio esse diuiniorem aut humaniorem, sed diuinos omnes: verum vnusquisque eorum suam propriã habet naturã, neq; aliquis citra naturã accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videre videor, narrabo. Ab equitatione ipsa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus: deinde claudicant, contrahuntque coxendices quum inualuerit morbus. Medicantur autem sibi ipsis

Ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτέῳ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι, XLVIII.
καὶ τἄλλα πάντα καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον, οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον, ἀλλὰ πάντα θεῖα. ἕκαστον δὲ ἔχει φύσιν τῶν τοιούτων, καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίγνεται. καὶ τοῦτο τὸ πάθος ὥς μοι δοκέει
γίγνεσθαι, φράσω. ὑπὸ τῆς ἱππα- XLIX.
σίης αὐτέους κέδματα λαμβάνει, ἅτε ἀεὶ κρεμαμένων ἀπὸ τῶν ἵππων τοῖς ποσίν. ἔπειτα ἀποχωλοῦνται καὶ ἕλκονται τὰ ἰσχία οἱ ἂν σφόδρα νοσήσωσιν. ἰῶνται δὲ σφᾶς αὐτοὺς

τρόπῳ τοιῷδε. ὁκόταν ἄρχηται ἡ νοῦσος, ὄπισθεν ὠτὸς ἑκατέρην φλέβα τάμνουσιν. ὅταν δὲ ἀποῤῥυῇ τὸ αἷμα, ὕπνος ὑπολαμβάνει ὑπὸ ἀσθενείας, καὶ καθεύδουσιν. ἔπειτα ἀναγείρονται, οἱ
L. μέν τινες ὑγιέες ἐόντες, οἱ δ' οὔ. ἐμοὶ μὲν οὖν δοκέει ἐν ταύτῃ τῇ ἰήσει διαφθείρεσθαι. εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. ταύτας τοίνυν μοι δοκέουσι τὰς φλέβας ἐπιτάμνειν. οἱ
LI. δὲ μετὰ ταῦτα, ἐπειδὰν ἀφίκωνται παρὰ γυναῖκα, καὶ μὴ οἷοί τε ἔωσι χρῆσθαι σφίσιν αὐταῖς τὸ πρῶτον οὐκ ἐνθυμεῦνται, ἀλλ' ἡσυχίην ἔχουσιν. ὁκόταν δὲ δὶς καὶ τρὶς καὶ πλεονάκις αὐτέοισι πειρωμένοισιν, μηδὲν ἀλλοιότερον ἀποβαίνῃ, νομίσαντές τι ἡμαρτηκέναι τῷ θεῷ, ὃν ἐπαιτιῶνται, ἐνδύονται στολὴν γυναικείην καταγνόντες ἑωυτέων ἀνανδρείην· γυναικίζουσί τε καὶ ἐργάζονται μετὰ τῶν γυναικῶν, ἃ καὶ ἐκεῖναι.
LII. τοῦτο δὲ πάσχουσιν, Σκυθέων οἱ πλούσιοι οὐχ οἱ κάκιστοι, ἀλλ' οἱ εὐγενέστατοι καὶ ἰσχὺν πλείστην κεκτημένοι, διὰ τὴν ἱππασίην οἱ

hoc modo. A principio morbi vtramque venam retro aures incidunt. Quo facto sanguine multo promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicque obdormiscunt: quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt, aliqui vero minime. Atque mihi sanè videntur ea medicatione se ipsos perdere. Venæ enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferat his quibus secantur. Quare id etiam ipsis ex earum incisione accidere certum est. Quando igitur postea vxores adeunt, impotentesque se factos vident cum illis coire, primum quidem nihil molestius cogitantes quiescunt. Quum autem bis aut ter, aut amplius frustra opus tentarunt, neque quicquam proficiunt, mox putant se Deum offendisse, in quem culpam rejiciunt. Induuntque se veste muliebri, palam se euiratos esse confitentes, ad mulierum contubernia transeunt, earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditissimi Scytharum afficiuntur, minimè vero infimi. Imo qui maximè & genere & potentia præualent, ex nulla alia quam

continuæ equitationis cauſa perpetiuntur: pauci vero minus, quũ non multũ equitent. Vnde ſi hæc affectio aliis diuinior cenſenda eſſet, non nobiliſſimis, non ditiſſimis Scytharum fere ſolis accideret, ſed eſſet omnibus æqualiter peculiaris. Imo magis inuaderet pauperes circa cultum deorum negligentiores, ſi ſaltem gaudent dij in hominum admiratione conſtitui, & pro hoc beneficia hominibus retribuunt. Diuites enim ſæpius diis ſacra faciũt, victimas offerunt, ſtatuas erigunt, coluntque, quum pecuniis abundent: pauperes autem minus id faciunt, quũ non habeant: quin etiam deos aliquando deteſtantur, qui eis opes non ſuppeditent. Vt veriſimilius eſſet, pauperes ac parum abundantes hoc malo propter crimina ſua puniri, quam diuites & qui opibus abundant. Verum (ſicut & prius dixi) diuinus quidem hic affectus eſt, ſecundumque naturam accidit ſimiliter, vt alij omnes. Neque alia eius cauſa, quam ea quam dixi Scythis exiſtit. Simili autẽ modo & reliquis hominibus euenit. Vbi enim & frequenter &

οἱ δὲ πένητες, ἧσσον. οὐ γὰρ ἱπ-
πάζονται. καίτοι ἐχρῆν, ἐπεὶ
θειότερον τοῦτο τὸ νόσευμα τῶν λοι-
πῶν ἐστιν, οὐ τοῖς γενναιοτάτοις
τῶν Σκυθέων, καὶ τοῖς πλουσιω-
τάτοις προσπίπτειν μουνοῖς, ἀλ-
λὰ τοῖς ἅπασιν ὁμοίως. καὶ μᾶλ-
λον τοῖσιν ὀλίγα κεκτημένοισιν,
οὐ τιμωμένοισιν ἤδη, εἰ χαίρου-
σιν οἱ θεοὶ καὶ θαυμαζόμενοι ὑπ'
ἀνθρώπων, καὶ ἀντὶ τουτέων
χάριτας ἀποδιδοῦσιν. εἰκὸς γὰρ LIII.
τοὺς μὲν πλουσίους θύειν πολλὰ
τοῖς θεοῖς, καὶ ἀνατιθέναι ἀναθή-
ματα ὄντων χρημάτων, καὶ τιμᾶν.
τοὺς δὲ πένητας, ἧσσον, διὰ τὸ
μὴ ἔχειν. ἔπειτα καὶ ἐπιμεμφο- LIV.
μένους, ὅτι οὐ διδόασιν χρήμα-
τα αὐτέοισιν. ὥστε τῶν τοιουτέων
ἁμαρτιῶν τὰς ζημίας, τοὺς ὀλίγα
κεκτημένους φέρειν μᾶλλον, ἢ τοὺς
πλουσίους. ἀλλὰ γὰρ ὥσπερ καὶ
πρότερον ἔλεξα, θεῖα μὲν καὶ
ταῦτα ἐστὶν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις.
γίγνεται δὲ κατὰ φύσιν ἕκαστα. καὶ
ἡ τοιαύτη νοῦσος ἀπὸ τοιαύτης
προφάσιος τοῖς Σκύθαις γίνε-
ται, οἵην εἴρηκα. ἔχει δὲ κα- LV.
τὰ τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους ὁ-
μοίως. ὅκου γὰρ ἱππάζονται μάλιστα

καὶ πυκνότατα, ἐκεῖ πλεῖστοι ὑπὸ κεδμάτων καὶ ἰσχιάδων καὶ ποδαγριῶν ἁλίσκονται, καὶ λαγνεύειν κάκιστοί εἰσι. ταῦτα δὲ τοῖσι Σκύθῃσι πάρεστι, καὶ εὐνουχοειδέστατοί εἰσιν ἀνθρώπων διὰ τὰς προφάσιας, καὶ ὅτι ἀναξυρίδας ἔχουσιν αἰεὶ καὶ εἰσὶν ἐπὶ τῶν ἵππων τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου, ὥστε μήτε χειρὶ ἅπτεσθαι τοῦ αἰδοίου ὑπό τε τοῦ ψύχεος καὶ τοῦ κόπου ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἱμέρου καὶ τῆς μίξιος, καὶ μηδὲν παρακινεῖν πρότερον, ἢ ἀνανδρωθῆναι. περὶ μὲν οὖν τῶν Σκυθέων οὕτως ἔχει τοῦ γένεος. Τὸ

LVI. Τὸ δὲ λοιπὸν γένος τὸ ἐν τῇ Εὐρώπῃ διάφορον αὐτὸ ἑωυτῷ ἐστι, καὶ κατὰ τὸ μέγεθος, καὶ κατὰ τὰς μορφὰς διὰ τὰς μεταλλαγὰς τῶν ὡρέων, ὅτι μεγάλαι γίνονται καὶ

LVII. πυκναί. καὶ θάλπη τε ἰσχυρὰ, καὶ χειμῶνες καρτεροί. καὶ ὄμβροι πολλοὶ, καὶ αὖθις αὐχμοὶ πολυχρόνιοι, καὶ πνεύματα, ἐξ ὧν μεταβολαὶ πολλαὶ καὶ παντοδαπαί. ἀπὸ τουτέων εἰκὸς αἰσθάνεσθαι καὶ τὴν γένεσιν ἐν τῇ συμ-

continue homines equitant, ibi plurimi à diuturnis doloribus articulorum, coxendicumque maximè & pedum corripiuntur, ad coitumque fiunt impotentes: quæ omnia mala Scytharum genti adſunt. Atq; propterea Scythæ omnium hominum minimè ſunt ad coitum valentes, & quod anaxyridas (braccharum ſiue fœminalium id genus eſt) ſemper habent, & plurimum temporis in equis deſides degunt, vt neque manu tractare pudenda liceat, atque præ frigore ac laſſitudine voluptatis ac iucunditatis coëundi obliuiſcantur, neque prius aliud ſibi faciendum putent, quam vt euirati fiant. Hactenus ergo de Scytharum gente recenſui. Reliquum autem in Europa hominum genus valde inter ſe diſſimile eſt, & diuerſum, tum quod ad magnitudinem attinet, tum quod ad formam: atque id propter temp.mut. contingit, apud eos magnas & frequentes. Sunt enim eis calores vehementes, & hyeme fortes, & pluuiæ multæ, rurſuſque ſiccitas diutina, & venti plurimi, ex quib. multæ & omnimodæ fiunt tranſmutationes. Neque à vero diſcrepat circa generationem has ipſas mutationes

sentiri, inque seminis genitalis coactione aliam, neque ex eodem etiam eandem æstatis pariter, vt hyemis, pluuioso & sicco tempore, progigni. Eaque causa est, cur putem Europæos magis quam Asianos secundũ corporum formas inter se discrepare, & magnitudines diuersissimas in singulis adeo vrbibus prouenire. Plures enim corruptiones contingunt in seminis coactione, quum tempora frequenter varîant, quam si eadem sint & similia.

πήξει τοῦ γόνου ἄλλην, καὶ μὴ τὴν αὐτὴν τὴν αὐτέην γίγνεσθαι, ἔντε τῷ θέρει, καὶ τῷ χειμῶνι. μηδὲ ἐν ἐπομβρίῃ καὶ αὐχμῷ. διότι τὰ εἴδεα διηλλάχθαι νομίζω τῶν Εὐρωπαίων μᾶλλον, ἢ τῶν Ἀσιηνῶν, καὶ τὰ μεγέθη διαφορώτατα αὐτὰ ἑωυτοῖσι εἶναι κατὰ πόλιν ἑκάστην· αἱ γὰρ φθοραὶ πλείονες ἐγγίγνονται τοῦ γόνου ἐν τῇ συμπήξει ἐν ταῖς μεταλλαγαῖς τῶν ὡρέων πυκναῖς ἐούσαις, ἢ ἐν τῇσι παραπλησίῃσι καὶ ὁμοίοισιν.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

XLVIII. ΠΑθεα θεῖα.] Apud authorem libri de morbo sacro, cur diuinum in morbis institutũ sit, tres ponuntur causæ; scilicet ignorantia causæ morbi, remediorum inexperientia, & magnitudinis morbi admiratio. Indeque factum est, vt politicum loquendi morem secutus Hippocrates, morbum diuinum appellarit. Hac enim dictione θεῖον vsus est 1. *prognost.* & huius iussit haberi prouidentiam. Vsus quoque est in principio libri de natura muliebri; cum inquit in hominibus diuinam maxime morbi causam haberi, proindeque in tractatione naturæ muliebris, & morborum à diuino esse inchoandum. Quibus verbis nihil aliud innuit Hippocrates, quam vt Medicus eos morbos præcipuè & primum cõsideret, quos vulgus diuinitati attribuit. Hi autem morbi diuini duorum sunt generum. Quidam enim dependent à communi causa, id est, aëre, vt notat Galenus *in primam sect. prognost.* Quidam autem dependent à peculiari causa, vt epilepsia *in lib. de morb. sacr.* & effœminatio hoc in loco. Politicus autem iste loquendi modus à triplici deorum cultu confirmatur, naturali scilicet, fabuloso, & ciuili. Primus est is, quo omnes gentes quantumuis barbaræ Deum venerantur. Secundus est poëtarum. Tertius est singularum rerum publicarum. Et ex hoc tertio

tio natus loquendi modus de Deo & religione politicus. Quem & notat Plato *in epistolis*, cum inquit se in epistolis accuratè & ad philosophos scriptis Deum, in vulgaribus autem deos nominare. Hac politica ratione credebant veteres pueros, adolescentes & iuuenes si morerentur, interfici ab Apolline: puellas autem & matronas florentis ætatis interfici à Diana. Vnde in ludis sæcularibus populi Romani apud Horatium *od.* 21. *lib.* 1. iubentur pueri laudare Apollinē, & puellæ Dianam, vt horum numinum iras à se auertant. Et ne quis putet hanc politicam fuisse tantum pop. Rom. rationem, afferri potest Homerus *Iliad.* 1. apud quem Apollo pestem inducit. Item & Niobe, cuius septē filios Apollo, septem filias Diana conficit. Item apud auctorem libri de morb. sacr. epileptici acutè vociferantes ab Apolline Nomio, præ violentia autem conuulsionis coacti ad deiectionem à Diana triuia premi credebantur. Sunt autem Medici qui secus sentiant, & θεῖον Hippocratici causam supra elementa esse confirment, vt Fernelius *lib.* 2. *de abditis rerum causis cap.* 10. suos enim morbos, quos appellat *à tota substantia* inquit cum Hippocratico θείῳ conuenire, & præter elementorum qualitates quatuor esse. Ad opinionis suę confirmationem adfert authoritates, tum Galeni, tum Hippocratis. Galenus enim *cap.* 18. *lib.* 5. *simplic.* inquit ab alexipharmaco medicamentum deleterium immutari, aut vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut à tota substantia. Vbi tota substantia distinguitur à qualitatibus primis. Hippocratis rursum vtitur duobus contextibus, quorum vnus est *part.* 4. *lib.* 2. *de nat. humana*, vbi morbi ab aëre dicuntur euenire per morbosam aëris excretionem; non à simplici qualitate, sed totius substantiæ proprietate. Alter contextus est *ex prognost.* 38. *lib.* 3. cum ait superuenientium morborum, 1. epidemiorum, & temporis conditionem esse tenendam. Quo in loco duo manifestè designat Hippocrates, scilicet tempus, quod à quatuor qualitatibus dependet; & morbos epidemios, quorum est abditior causa. Gorrhæus *in definitionibus medicis* Fernelij sententiæ accedens inquit, Hippocraticum θεῖον continere causas, quæ nec sensu, nec cogitatione comprehendantur. Ad primam Fernelij rationem respondeo, per totam substantiam intelligi qualitatum quatuor inter se mixtionem effectricem substantiæ, id est temperamenti: Nam Galenus *cap.* 9. *lib.* 1. *de vsu par.* inquit temperamentum propriam partis substantiam complere. Et *aph.* 2. *lib.* 3. inquit temperamentum & naturam vnum esse. Et eadem responsio valet ad discutiendum locum lib. 2. de nat. hum. Quod attinet ad prognosticum; aut Fernelius verterat *semper euenientium*, vt sit librariorum error; aut ipse malè Hippocratem interpretatus est. Nam aliud est ἀεὶ ἐπιδημεῖν, *semper grassari*, aliud ἐπιγίνεσθαι, *superuenire.* Nam quæ morbis in natura sua iam existentibus symptomata succedunt, siue ad salutem, siue ad mortem, illa dicuntur ἐπιγίνεσθαι. Nam *aph.* 11. *lib.* 6. hæmorrhois melancholiæ, *aph.* 13. sternutatio singultui, *aph.* 15. vomitus diarrhœæ, *aph.* 17. diarrhœa ophthalmiæ, salutariter ἐπιγίνεται. At *aph.* 16. *einsd.* peripneumo-

niæ aut pleuritidi diarrhœa lethaliter ἐπιγίνεται. Igitur vult Hippocrates hoc prognostico non discernere causas morborum & temporum, sed vult vt habeamus notitiam tempestatis anni, quia secundum hanc aut illam hi aut illi morbi populariter grassantur. Gorrhæus autem Fernelium defendens grauius peccat. Nam præcipit Hippocrates τοῦ θείου haberi notitiam. Ergo vel sensu, vel ratione: quia per Galenum *ad aph.* 1. *lib.* 1. hæc duo sola sunt disciplinarum instrumenta. Quomodo igitur causa θείη, nec sensu, nec cogitatione dignoscetur, & tamen eius prouidentia habebitur? Statuendum igitur ex hoc loco, cum nullus morbus sit alio humanior aut diuinior, omnium causas intra naturæ & elementorum limites contineri.

XLIX. ἀπὸ τῆς ἱππασίης.] Ex Galeno *cap.* 8. *lib.* 2. *tuendæ sanit.* omnis qui suscipitur labor, aut exercitatio est, aut opus, aut vtrumque. Exercitationem vocat id, quod relaxandi animi & corporis causa suscipitur. Opus autem est id omne, quod serij negotij causa fit. Quod vtriusque particeps est, corpus animumq; relaxat, & præterea finem aliquem habet ad vtilitatem vitæ. Primi exemplum sit ludus pilæ. Secundi studium in artes. Tertij, equitatio, qua & corpus exercetur, & peregrinandi scopus proponitur. Exercitationum autem inquit Galenus *eiusd. libri cap.* 11. tres sunt species. Vna est violenta, grauis, robusta, vt ferre pondus. Altera leuis, velox, concitata, vt saltatio. Tertia vtriusque particeps, violenta, & velox dicitur, vt equitatio, & ea maxime vires exoluit, partesque exercet omnes infra diaphragma.

κέδματα.] Galeno *in libro de vocibus Hippocratis*, κέδμα est omnis diuturna affectio, quę fit ex longo humorum fluxu in quamlibet partem, sed maxime in coxendicis articulationem. Idem Galenus *ad part.* 22. *sect.* 5. *lib.* 6. *epid.* definit κέδματα fluxiones quæ fiunt in crura, sed eas maximè quæ fiunt in primam articulationem quæ est ad ischium.

ἀποχωλοῦνται.] Quarum articulationum motus est multiplex, hæ aut duplices sunt, vt in cubito, aut si vna est, caput magnum est & rotundum, acetabulum autem profundum, inquit Galenus *cap.* 5. *lib.* 12. *de vs. part.* Vnde hanc regulam pronunciat *cap.* 3. *lib.* 14. *de vs part. Omnis articulus qui variè mouetur, in caput rotundum desinit.* Talis est articulatio coxendicis, cuius claudicatio est, vel à natura, vel à morbo. A natura, per malam conformationem, vel partis debilitatem natiuam. A morbo quinque habet causas; fluxionem, tabem femoris, palindromen humorum, siccitatem dolorosam, & vulnus. Duæ primæ causæ colliguntur ex aph. vlt. lib. 6 quo inquit, *Quibus diuturno dolore ischiadico vexatis caput femoris excidit, facileque reponitur, hi claudicant & tabescunt, nisi vrantur.* Nam inquit Galenus *in comm.* propter mucosæ pituitæ affluentis abundantiam caput articulationis solet excidere, vnde pars sua actione destituta, tabescat necesse est. Tertia causa colligitur ex lib. de nat. pueri, in quo mulier ex retentis mensibus claudicat. Quarta ex libro de affect. intern. in quo per solis ardorem exsiccato coxendicis humore oleoso claudicatio fit. Quinta ex primo libro de morbis.

ἑλκυνται τα ισχια.] Inquit Galenus *ad part. 22. comm. 3. medicatrinæ; quibuscunque in partibus corporis magna ossa sunt, & magni musculi, vt in femore, brachio & tibia, hic fit partium frequens ad sua capita contractio:* proindeque etiam *ad part. 20 sect. 3. lib. de artic.* inquit ad restituendam luxationem semper opus esse magna distentione διάτασει in varias partes, quam Hipp. *part. superius citata medicatr.* iubet in crassissimis partibus fieri. Hic igitur per verbum ἑλκονται intellige istam contractionem, quæ fit reuocatis ad capita partibus.

ὕπνος ἀπολαμβάνει.] Somnus omnis aut est secundum naturam, aut præter. Qui secundum naturam est, fit suaui vaporum à ventriculi cibis exhalatione ad caput. Qui præter naturam est somnus, appellatur κῶμα. Atque hoc ipsum triplex, aut profundè dormiens, aut leuiter, aut vigilans κῶμα profundum fit à nimia cerebri pituita, aut à nimia refrigeratione. Côma leuiter dormiens, aut etiam vigilans, fit à debilitate naturæ & humore bilioso. Atque hic in acutis morbis, vt notat Galenus *ad ægrum 2. sect. 1. lib. 3. epid.* Hi igitur cum non acutè ægrotarent, somno à frigore per nimiam sanguinis euacuationem oborto, & à debilitate, profundè dormierunt.

τῇ ὄπισθεν διαφθείρεσθαι.] Quemadmodum Hippocrates hoc loco, sic & Galenus *ad part. 22. sect. 5. lib. 6. epid.* videtur hoc remedij genus improbare, quia nullus medicorum eo vtitur in reuulsione humorum ad coxendicem decumbentium. Tamen Hippocrates *ead part. 6. epid.* videtur approbasse, cum inquit secandas esse pone aures venas in longis fluxionibus. Et ratio afferri potest, quoniam ab inferioribus per superiora fieri potest reuulsio. Sed propter periculum sterilitatis hoc Hippocrates damnat: Cuius periculi Hip. ipse rationẽ adfert *in lib. de sem.* cum inquit huiusmodi hominum postea semen esse paucum & infœcundum, quoniam cum maxima seminis portio à cerebro transmittatur, eius transitus per cicatricem obductam vulneri, est impeditus. Itaque vel tota vena incidebatur, vel quia diutius tardabant in cicatrice obducenda, sanguinis & carnis callus obducebatur. An autem hoc sit verum, Auicennas *cap. 3. fen. 20. lib. 3.* dubitat, & idem repetit *cap. 20. fen. 4. lib. 1.* contenditque Galenum eadem de re dubitasse. Quæ sint autem istæ venæ, ostenditur in libro de ossibus, vbi ex capite iuxta aures per ceruicem iugulares intrinsecus intra spinam, mox ad lumbos, & hinc ad testes procedere leguntur. Quæ venarum productio, quia falsa est secundum Galenum *part. 6. comm. in lib. 2. de nat. humana,* recurrendum est ad Vesalium *cap. 10. lib. 3. anat.* Vbi scribit iugularibus externis hoc esse commune insignes ramos distribuere per partes per quas feruntur: vnde cum ad fauces peruenerunt, ad faciem, tempora, post aures, & vniuersam cutim capitis exteriorem, suam portionẽ diffundunt: quæ non ratione sui sterilitatem inducunt, sed propter viciniam cerebri, per nimiam sanguinis euacuationem frigore corrupti. Errabant præterea, quod statim à venæ sectione dormirent, quod damnat Auicennas *lib. 1. fen. 14 cap. 20.*

LV. ἱππάζονται.] Ad coitum naturalem tria necessaria sunt, vt disputat Scaliger *exercit.* 104 *in Cardanum*; spiritus, calor & semen. Nam & Eunuchi vi spiritus coëunt; & pueri vi spiritus & caloris pudendi tentiginem sentiunt. Puberes autem & ætate florentes tres istas causas coitus in sese continent. Aristoteles igitur *sect.* 4. *probl.* 12. inquit eos qui equitant libidinosiores euadere, quoniam eadem est equitationis & coitus ratio, cum in vtroque sit & motus, & calor ex motu. Videtur ergo dissentire Aristoteles ab Hippocrate. Sed facilè conciliari possunt: quia hîc Hippocrates loquitur de equitatione ad lassitudinem vsque: Aristoteles autem de ea quæ fit citra lassitudinem. Nam quicunque lassi sunt ad Venerem apti non sunt, vt patet ex problemate 31. sect. 5. quo contendit Aristoteles delassatis & phthisicis hominibus semen inter dormiendum profundi. Illis quidem propter colliquationem corporis, his propter fluxionem. Accedet secunda ratio, propter debilitatem facultatis retentricis vasorum spermaticorum.

ἀναξυρίδας.] Huius dictionis quatuor reperiuntur apud Græcos significata. Nam apud Iulium Pollucem *lib.* 7. sumitur pro capitis integumento, apud Hesychium pro calceamentis, interdum pro veste laxa, quæ totum corpus operiat: Apud Eustathium *Iliad.* 1 & 2. vsurpatur pro fœminalibus, & deriuatur à Græco ἀναξύρω, id est, traho, propterea quod fœminalia dum induuntur, sursum trahuntur. Hîc per ἀναξυρίδας præstat intelligere vestem pelliceam quæ totum corpus operiat: siquidem & Ouidius de Scythis loquens scribit.

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis:

Et apud Pompon. Melam. *Braccati sunt totum corpus Sarmatæ, & nisi qua vident etiam ora vestiti.* Vult igitur Hippocrates Scythis esse impedimento, quo minus si forte frigus antiperistasin superarit, pudendum blanda manus contrectatione refocillare possint: ideoque fit, vt quia pars frigore riguit, non sit apta ad Venerem.

LVII. ἡ Εὐρώπη πολὺ ἰσχυρή.] Huius rei demonstrationem adfert Cardanus: *Europa ferè tota magis spectat ad occidentem sed occidens accessione solis secum ventos calidos siccos deferentis vritur, recessu autem riget ventisque caret calidis quibus temperetur. Ergo habet summas mutationes caloris & frigoris.* Demonstratio Hippocratica sic fieret. Autumno sunt mutationes caloris & frigoris inæquales: Occidens per primam partem huius libri est autumno similis: Ergo Europæa cum sit occidua, habebit caloris & frigoris magnas immutationes.

ὄμβροι πολλοί.] Galenus *part.* 4. *sect.* 2 *lib.* 1. *epid.* inquit multam pluuiam dici duobus modis, aut ratione durationis temporis, aut ratione substantiæ humidæ copiosæ. Priore modo est multa pluuia, quæ larga est, etiam si non diu duret.

LVIII. Περί τε τῶν ἠθέων ὁ αὐτὸς
λόγος. τό τε ἄγριον, καὶ τὸ
ἄμικτον, καὶ θυμοειδὲς ἐν τῇ τοι-
αύτῃ φύσει ἐγγίγνεται. αἱ γὰρ ἐκ-
πλήξιες πυκναὶ γιγνόμεναι τῆς
γνώμης τὴν ἀγριότητα ἐντιθέα-
σιν. τὸ δὲ ἥμερόν τε καὶ ἤπιον ἀ-
μαυρεῦσιν. διότι εὐψυχοτέρους
νομίζω τοὺς Εὐρώπην οἰκοῦντας
LIX. εἶναι, ἢ τοὺς τὴν Ἀσίην. ἐν μὲν
γὰρ τῷ αἰεὶ παραπλησίως αἱ ῥα-
θυμίαι ἔνεισιν. ἐν δὲ τῷ μεταβαλ-
λομένῳ αἱ ταλαιπωρίαι τῷ σώ-
ματι καὶ τῇ ψυχῇ. καὶ ἀπὸ μὲν ἡσυ-
χίης καὶ ῥαθυμίης, ἡ δειλίη αὔξε-
ται. ἀπὸ δὲ τῆς ταλαιπωρίης καὶ
LX. τῶν πόνων, αἱ ἀνδρεῖαι. διὰ τοῦτο
εἰσὶ μαχιμώτεροι οἱ τὴν Εὐρώ-
πην οἰκοῦντες, καὶ διὰ τοὺς νό-
μους, ὅτι οὐ βασιλεύονται, ὥσ-
περ οἱ Ἀσιηνοί. ὅκου γὰρ βασι-
λεύονται, ἐκεῖ ἀνάγκη δειλοτά-
τους εἶναι. εἴρηται δέ μοι καὶ πρότε-
LXI. ρον. αἱ γὰρ ψυχαὶ δεδούλωνται, καὶ
οὐ βούλονται παρακινδυνεύειν ἑ-
κόντες εἰκῇ ὑπὲρ ἀλλοτρίης δυ-
νάμιος. οὗτοι δὲ αὐτόνομοι ὑπὲρ
αὑτῶν γὰρ τοὺς κινδύνους αἱρεῦν-
ται, καὶ οὐκ ἄλλων, προθυμεῦν-

Eadem autem morum ratio in vtrisque existit Feritas, insociabilitas, & audacia à natura Europæis innascitur. Frequẽtes enim mentis percussiones feritatem inducunt, mansuetudinẽ contra & benignitatem extirpant. Quare etiam magnanimos magis eos qui Europam incolunt Asianis iudico. Siquidem similitudo & æqualitas segnitiem parit. Mutatio autem & animum & corpus ad exercitationem excitat. Augetur itaque à desidia & ocio timiditas, ab exercitio vero & laboribus crescit virilitas. Vnde bellicosiores quoque Europæi extant, non ob hanc solum caussam, sed & propter leges. Non enim regibus obediunt, quemadmodum Asiani. Vbi enim sub regibus viuitur, ibi necesse est homines timidissimos esse, quemadmodum & supra ostendi. Seruitute namque animi eorum pressi non libenter, neque volentes temerè pro aliis se pericul s exponunt. Europæi autem suo iure viuentes, quum pro seipsis pericula belli subeant, magna cupiditate feruntur,

volenteſque ac alacres difficultates omnes aggrediuntur, ipſique ſibi ex re bene geſta præmia reportant, vt certum ſit leges plurimũ ad magnanimitatem conferre. Tota itaque & vniuerſa res de Europa & Aſia, ſic vt retuli, habet. Cæterum Europa ipſa adhuc habet gentes inuicem differentes, non magnitudine & forma ſolum, ſed & magnanimitate ac fortitudine. Quæ verò in eis hanc diuerſitatem faciant, in præcedentibus dixi, dicamque amplius magis manifeſtè. Quicunque regionem montanam, aſperam, nudam, & non aquoſam incolunt, his mutationes temporum contingunt magnæ & diuerſæ, vnde & hominũ formas magnas progigni conuenit, qui & ad laborem & ad viriliter agendum à natura præſtent, quibuſque feritas & immanitas non mediocriter à natura ſint congenita. Qui vero loca cõcaua, pratenſia & æſtuoſa habitant, ventoſq; calidos plus ſentiunt, quam frigidos, & aquis vtuntur calidis: hi magni quidem eſſe non poſſunt, neque bene compoſiti & longi ac erecti, ſed in amplitudinẽ à natura producti carnoſi ſunt,

ἑκόντες, καὶ ἐς τὸ δεινὸν ἔρχονται. τὰ γὰρ ἀριστεῖα τῆς νίκης αὐτοὶ φέρονται. οὕτως οἱ νόμοι οὐχ ἥκιστα τὴν εὐψυχίην ἐργάζονται. τὸ μὲν ὅλον καὶ τὸ ἅπαν, οὕτως ἔχει, περί τε τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίης. ἔνεισι δὲ καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ φῦλα διάφορα ἕτερα ἑτέροις, καὶ τὰ μεγέθεα, καὶ τὰς μορφάς, καὶ τὰς ἀνδρείας. τὰ δὲ LXII. διαλλάσσοντα ταῦτά ἐστιν, ἃ καὶ ἐπὶ τῶν προτέρων εἴρηται. ἔτι δὲ LXIII. σαφέστερον φράσω. ὁκόσοι μὲν χώρην ὀρεινήν τε οἰκοῦσι τρηχείην καὶ ὑψηλήν, καὶ ἄνυδρον, καὶ αἱ μεταβολαὶ αὐτέοισι γίνονται τῶν ὡρέων μέγα διάφοροι, ἐνταῦθα εἰκὸς εἴδεα μεγάλα εἶναι, καὶ πρὸς τὸ ταλαίπωρον, καὶ τὸ ἀνδρεῖον εὖ πεφυκότα. καὶ τό τε ἄγριον καὶ τὸ θηριῶδες αἱ τοιαῦται φύσιες οὐχ ἥκιστα ἔχουσιν. ὁκόσοι δὲ κοῖλα χω- LXIV. ρία, καὶ λειμακώδεα, καὶ πνιγηρά, καὶ τῶν θερμῶν πνευμάτων πλέον μέρος μετέχουσιν, ἢ τῶν ψυχρῶν, ὕδασί τε χρῶνται θερμοῖς, οὗτοι δὲ μεγάλοι μὲν οὐκ ἂν εἴησαν, οὐδὲ κανονίαι. ἐς εὖρος δὲ πεφυκότες, καὶ σαρκώδεες,

καὶ μελανότριχες, καὶ αὐτοὶ μέλανες μᾶλλον ἢ λευκότεροι. φλεγματίαι δὲ ἧσσον ἢ χολώδεες. τό τε ἀνδρεῖον καὶ ταλαίπωρον ἐν τῇ ψυχῇ, φύσει μὲν οὐκ ἂν ὁμοίως ἐνείη. νόμος δὲ προσγενόμενος ἀπεργάσοιτ' ἄν. καὶ εἰ μὲν ποταμοὶ ἐνείησαν ἐν τῇ χώρῃ, οἵτινες ἐκ τῆς χώρης ἐξοχετεύουσιν τό τε στάσιμον καὶ τὸ ὄμβριον, οὗτοι ἂν ὑγιηροί τε εἴησαν καὶ λαμπροί. εἰ μὲν τοι πόταμοι μὲν μὴ εἴησαν, τὰ δὲ ὕδατα κρηναῖά τε καὶ στάσιμα πίνοιεν καὶ ὀδώδεα, ἀνάγκη τὰ τοιαῦτα τῆς γαστρὸς ἀτηρέα

LXV. εἶναι καὶ σπληνός. ὁκόσοι δὲ ὑψηλήν τε οἰκέουσι χώρην, καὶ λείην, καὶ ἀνεμώδεα, καὶ ἔνυδρον, εἴη ἂν εἴδεα μεγάλα, καὶ ἑωυτοῖς παραπλήσια, καὶ ἀνορθότερα. καὶ

LXVI. ἠπιώτεραι αἱ γνῶμαι. ὁκόσοι λεπτά τε καὶ ἄνυδρα καὶ ψιλά, ταῖς δὲ μεταβολαῖς τῶν ὡρέων οὐ κέκρηνται, ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ τὰ εἴδεα εἰκός τε σκληρά τε εἶναι, καὶ ἔντονα, καὶ ξανθότερα ἢ μελάντερα. καὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ὀργὰς αὐθάδεις τε καὶ ἰδιογνώμονας. ὅκου γὰρ μεταβολαί εἰσι πυκνόταται τῶν ὡρέων, καὶ πλεῖστον διάφοροι αὗται ἑαυτῇσιν, ἐκεῖ καὶ τὰ εἴδεα, καὶ τὰ ἤθεα, καὶ τὰς φύσιας εὑρήσεις πλεῖστον

& capillis nigris. Imo & ipsi toti nigri magis quàm albi, & qui minus de pituita habeant quàm de bile. Virilitas autem & tolerantia laboris non æquè ipsis à natura inest, nisi consuetudo accedat, & hæc in eis efficiat. Quod si flumina extent in ea regione, quæ stagnantes & pluuias aquas euehant, homines ipsi incolumes ac splēdidi viuent. Si vero flumina desint, aquasque puteorum stagnantes & olentes bibant, necesse est ab ipsis illis aquis & ventrem lædi & splenem. Quicunque autem altam habitant regionem, planam, ventis expositã & aquosam, eorum formæ magnæ ac inuicem similes & erectæ. Animi quoque eorum existunt mansuetiores. Qui verò macra, aquis carentia & nuda loca tenent, & quæ temporum mutationibus non sunt permixta, horum formas necesse est esse asperas & vegetas, flauas magis quã nigras: mores etiam eorum rigidi sunt, pertinaces & cõtumaces. Vbi enim mutationes temporũ contingunt frequẽtes, & plurimũ inter se diuersæ, ibi & formas, & mores, & naturas reperias plurimum

differentes. Temporum itaque varietates potissimæ sũt, quæ naturam ipsam permutant: deinde etiam regio in qua quis nutritur: postremum autem aquæ. Inuenias enim fere semper & formas hominum, & mores regionis naturæ compares. Nam vbi terra pinguis est & mollis & aquosa, aquæ autem non valde sublimes, ita vt æstate calidæ sint, & hyeme frigidæ, & temporum ratio alias probè conueniat sibi, & homines carnosi, articulis non apparentibus, humidi, laboris intolerantes, & vt plurimum maligni nascuntur: segnitiesque & somnolentia eis multa: suntque ad artes tractãdas crassi, non acres aut subtiles. Vbi autem regio est nuda, natura munita & aspera, quæque & à frigore hyberno prematur, & à sole æstiuo exuratur, ibi duros & robustos, & articulis probè disiunctis, vegetosque & hirsutos reperias homines, & in quibus à natura laboris tolerantia, & vigilantia insit; quique mores habeant pertinaces, ad iram procliues & contumaces, magisque feritate participantes quam mansuetudine. Insuper

διαφερούσας. μέγισται μὲν οὖν LXVII.
εἰσιν αὗται τῆς φύσιος διαλλα-
γαί· ἔπειτα δὲ καὶ ἡ χώρη ἐν ᾗ
ἄν τις τρέφεται, καὶ τὰ ὕδατα.
εὑρήσεις γὰρ ἐπὶ τὸ πλῆθος τῆς
χώρης τῇ φύσει ἀκολουθοῦντα καὶ
εἴδεα τῶν ἀνθρώπων, καὶ τοὺς
τρόπους. ὅκου μὲν γὰρ ἡ γῆ πι- LXVIII.
ειρὴ, καὶ μαλθακὴ, καὶ ἔνυδρος,
καὶ τὰ ὕδατα κάρτα μὴ μετέω-
ρα, ὥστε θερμὰ εἶναι τοῦ θέρεος, καὶ
χειμῶνος ψυχρὰ, καὶ τῶν ὡρέων
καλῶς κέεται, ἐνταῦθα καὶ οἱ ἄν-
θρωποι σαρκώδεες εἰσὶ καὶ ἄναρ-
θροι, καὶ ὑγροὶ, καὶ ἀταλαίπω-
ροι. καὶ τὴν ψυχὴν κακοὶ ὡς ἐ-
πὶ τὸ πολύ. τό τε ῥάθυμον, καὶ
τὸ ὑπνηρὸν ἔστιν ἐν αὐτέοισιν.
ἔς τε τὰς τέχνας παχέες, οὐ λε-
πτοὶ, οὐδ' ὀξέες. ὅκου δ' ἐστὶν LXIX.
ἡ χώρη ψιλή τε καὶ ἀνώχυρος καὶ τρη-
χείη, καὶ ὑπὸ τοῦ χειμῶνος πιε-
ζομένη, καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου κεκαυ-
μένη, ἐνταῦθα δὲ σκληρούς τε καὶ
ἰσχνοὺς καὶ διηρθρωμένους, καὶ ἐντό-
νους καὶ δασεῖς. τό τε ἐργατικὸν
ὀξὺ ἔνεον ἐν τῇ φύσει τῇ τοιαύ-
τῃ, καὶ τὸ ἄγρυπνον. τά τε ἤθη καὶ
τὰς ὀργὰς, αὐθάδεας καὶ ἰδιογνώ-
μονας. τοῦ τε ἀγρίου μᾶλλον με-
τέχοντας, ἢ τοῦ ἡμέρου. ἔς τε τὰς

ad

LV. τέχνας, ὀξυτέρους τε καὶ συνετωτέρους, καὶ τὰ πολέμια ἀμείνους εὑρήσεις, καὶ τἄλλα τὰ ἐν τῇ γῇ φυόμενα πάντα, ἀκόλουθα ὄντα τῇ γῇ. αἱ μὲν ἐναντιώταται φύσιές τε καὶ ἰδέαι, ἔχουσιν οὕτως. ἀπὸ δὲ τουτέων τεκμαιρόμενος, τὰ λοιπὰ ἐνθυμέεσθαι, καὶ οὐχ ἁμαρτήσῃ.

ad artes etiam acutiores, & plus solertes, & ad res bellicas gerendas aptiores. Quin & omnia quæ è terra proueniunt, terræ ipsius naturam resipiunt, & sequuntur. Atque hactenus quidem maximè contrarias corporum naturas & formas diximus; è quibus coniectura facta, si quoque reliqua consideraueris, nunquã à vero aberrabis.

IN CONTEXTVM ANNOTATIONES.

LVIII. Ἄμικτοι.] Ex Galeni codicibus *lib. quod animi mores sequuntur temperiẽ corporis*, hic locus ita corrigi debet, eritque consentanea lectio iis quæ superius posita sunt, Europæos non esse societatis & coitus amatores: sic etiam Strabo *lib. 2. Geographiæ* inquit Europæos esse alienos ab omni societate; propter locorum asperitatem, frigiditatem & portuum inopiam. Imo etiam quę sequuntur, declarant ita legi oportere. Nam Hippocrates singulis singula reddidit, & τὸ ἥμερον καὶ ἤπιον, magis correspondet ἀμίκτῳ, quam ἀμιάντῳ.

LIX. ἡσυχίης καὶ ῥαθυμίης.] Quicunque sunt sanguine frigidiore & minus fibroso, illi sunt timidiores, inquit Aristoteles; vt cerui, damæ, lepores: sed homines qui non exercentur sunt eiusmodi: sunt enim carne humidissima, proindeque minus fibrosa, & ideo statim ab exercitio colliquantur corpore calefacto. At verò quia exercitatione augetur calor, itemque fibræ, tam carnis, quàm sanguinis, inde fit, vt taurus in rabiem actus ferocissimus sit.

LXIII. καὶ ἄνυδρον.] Sic ex libro Galeni *quod animi mores sequuntur temperiem corporis*, est legendum, vt & ipse contextus indicat. Nam regio montosa & alta sicca est, & homines in sicca regione sunt robustiores & ferociores.

εἴδεα μεγάλα ἐστί.] Hoc totum dependet à multitudine & bonitate seminis. Cuius rei demonstratio ex Aristotele & Hippocrate talis haberi potest. Ex Hippocrate quidem *lib. 1. de diæta*, vbi inquit quotiescunque ab vtroque parente masculum semen, aut certè à patre excernitur, atque vincit in generatione, tum filios gigni fortes & splendidos. At secundum Aristotelem *probl. 26. & 29. sect. 4.* mares hyeme cupidissimi

coëunt, quia plurimum tum innati caloris habent. Ergo etiam & in ea regione quæ hyemi respondet in frigiditate. Ad cupiditatem autem rei venereæ sequitur potentissimi seminis multa profusio.

LXIV. καιτίαι.] In Galeni libello de vocibus Hippocratis corruptè legitur καννίαι, quam lectionis corruptionem sequutus est etiam Gorrhæus in definitionibus medicis. Legendum est, ergo καμπίαι, vt ex hoc loco patet. Estque hæc dictio Hippocratica, qua designantur homines recti, ventre ad æquabilitatem plano atque directo, nec protuberante. His hominibus opponuntur ventrosi apud Pliniũ, & ventriosi apud Plautum. Sed notatu dignum est apud Galenum *in libro quod animi mores &c.* legi διμήκεις, id est, oblongos. Quia tamen Galenus dictionem hic positam Hippocraticam agnoscit, hanc retinebimus, cuius interpretatio erit petenda ab alia Galeni dictione διμήκεις, id est, oblongi.

εἶναι δὲ μεγάλοι.] Cùm hæc habitatio tota sit palustris, & proinde morbosa, ob vitium seminis & facultatis conformantis debilitatem homines non possunt esse magni: sed propter aquarum abundantiam, & aëris humiditatem, quæ duo maximè replent, erunt lati & carnosi. Propter adustionem excrementorum fient nigris pilis. Dicuntur autem biliosiores quam pituitosiores, quia vt dictum est *secunda huius libri parte text* 3. qui degunt ad lacus ventribus superioribus & inferioribus sunt biliosi. Sed pugnare secum videtur Hippocrates, qui hic carnosos eiusmodi homines appellat, quos in contextu citato inquit facie, clauiculis & humeris attenuari. Sed dicendum, esse natura loci carnosos, morbo autem fieri macilentos, quoniam in splenem carnes colliquantur. Rursum notanda quæ hic adhibetur distinctio, homines harum regionum fore carnosos & splendidos, si lacus à fluminibus repurgentur: sin minus, ventre & splene laboraturos. Ac ventre quidem, quoniam hyeme fient duri & adstricti; æstate vero dysenteria & diarrhœa laborabunt, vt dictum est *text* 5. *& 6. part. 2. huius libri.* Liene autem, quoniam ipse aquis replebitur, & scirrhosus fiet, vt dictum est *text. 3 & 4. 2. part.*

LXV. ὁκόσοι δὲ.] Hic textus oppositus est 63. Vt igitur illic montes, & asperitas, & siccitas faciebant magnas mutationes anni tempestatũ: sic hic locorum planities læuis, ventorum similitudo, & aquarum abundantia faciunt earundem tempestatum similitudinem. At probatũ est *text.* 59. à similitudine tempestatum fieri socordiam. Proinde hic rectè corrigitur cum Galeno *in libro quod animi mores.* ἀνανδρότεροι pro ἀνορθότεροι. Nam & *text. 2. huius sect.* 4. dictum est Asianos esse ἠπιωτέρους, id est, mansuetiores, ideoque conclusum *text. 9.* in illis non reperiri τὸ ἀνδρεῖον, id est, fortitudinem.

LXVI. ὁκόσοι λεπτὰ.] λεπτὸν & ἰσχνὸν apud Hippocratem cognatæ sunt significationis, sed tamen dissimilis. Qui enim naturæ habitudine sunt graciles, & habent amplas venas, hi dicuntur ἰσχνοί. Et in hoc significato vsurpauit Hipp. *aph. 44. lib. 2. & aph. 6 lib.* 4. in quo Galenus interpretatur ἰσχνοὺς χολώδεις, id est, *biliosos.* At verò quicunque colliquatione fa-

& à per morbum macrescunt, illi dicuntur λεπτοί: sic enim Hippocrates *aph.* 35. *lib.* 2. appellauit abdomen λεπτὸν, quod præter naturam extenuatur. Et *part.* 29. *sect.* 3 *lib.* 6. *epid.* extenuationem à morbo appellauit λεπτυσμόν. Tamen interdum ista duo confunduntur, vt *text.* 3. *part.* 2. *huius libri*; & apud Galenum *cap.* 4. *lib.* 2. *temper.* Igitur hic Hipp. regionem appellat ψιλὴν impensè macram & siccam, proindeque sterilem.

σκληρούς τε καὶ εὐτόνους] Hi homines duri sunt, robusti & biliosi tum natura loci, tum victus ratione. Vbi enim summa est locorum siccitas & aëris, ibi & tales esse temperaturas est necesse natura. Et vbi talis est regio, ea etiam quæ suggeruntur ad hominum alimoniam dura sint, & sicca oportet. Proinde Hipp. *lib* 2. *de diæta*, inquit quæ ex locis non aquosis & siccis & æstuosis prodeunt alimenta, ea omnia sunt & sicciora, & calidiora, & amplius robur corpori exhibent. Præterea ex Gal. *cap.* 4. *lib.* 2. *temper.* quod siccum est; durum est. Eademque ratio est, cur iidem sint pertinaces, quoniam impressiones in dura materia diutius remanent, vnde hominum melancholici temperamenti constantia. Cur item sunt iræ summæ par ratio. Nam, vt inquit Galenus *cap.* 7. *lib. quod animi mores*, solida omnia & firma concalefacta vehementius calefiunt quam humida, & proinde eorum ira maior.

ὕδατα κάρτα μετέωρα] Sic omnia legunt exemplaria, itemque Galeni LXVIII. codices *in lib. quod animi mores*, & omnes interpretes hoc loco μετέωρον exponunt de aqua non profunda, sed quæ sit in extima terræ superficie. Atque sic Galenus appellauit φλέβας μετεώρας, venas quæ in gracilibus exteriùs apparent. Sed considerandum fuit, quis esset modus apud Hipp. loquendi. Nam *text.* 12. 2. *part. huius libri* appellauit ὕδατα μετέωρα, quæ essent ex profundissimis fontibus: & 14. *text part.* 1. *huius libri* ὕδατα μὴ μετέωρα appellauit aquas, quæ essent æstate calidæ, & hyeme frigidæ. Itaque hi contextus conuincunt legendum esse ὕδατα μὴ κάρτα μετέωρα, id est, *aquas non admodum sublimes, id est*, profundi haustus. Nam terra pinguis & mollis manifesto arguit aquam extimæ superficiei quàm proximam; quod enim molle est, humidum est.

οἱ ἄνθρωποι &c. Quia terra pinguis est crassa, sunt & pinguia eius alimenta; indeque homines carnosi redduntur. Nam, vt inquit Hippocrates *lib.* 2. *de diat.* omne alimentum dulce, pingue & oleosum, quoniam ex pauca mole plurimum diffunditur, multum replet, & vbi calefactum (coctione) fuerit, calorem natiuum tranquillum reddit. i. citra acrimoniam vllam. Sunt iidem malè articulati, quia cùm pingues & frigidi sint, minus expeditè mouentur. Non sunt tolerantes laborum, quia humidi. Quod enim in caloris sui temperatione humidum est, id ipsum molle est, inquit Galenus *cap.* 4. *lib.* 2. *temper.* Et proinde labore colliquantur, vt inquit Hippocrates *lib.* 2. *de diat.* Quod autem eos dicat esse improbos, primo notandum est ex Plat. *lib.* 5. *de legibus*, ad bonos vel malos homines gignendos terram plurimum posse. Deinde ex eod. vt citat Galenus *cap.* 6. *lib. quod animi mores*, ex acidæ & salsæ pituitæ, amari biliosique humoris corpus peruagantis impetu animi

morbi generantur. Præterea apud Galenum *cap. 5.* Heraclitus inquit in ſicco corpore ſapientiam & prudentiam dominari. Et hanc opinionem poſt Gal. confirmat hiſtoria ſtellarum, quæ quia ſplendidiſſimæ ſunt & ſicciſſimæ, idcirco in his prudentia & ſapientia dominatur. At hi homines humidiſſimi ſunt & in terra humida. Ergo malignitas, quæ contraria eſt prudentiæ & ſapientiæ, illis dominabitur. Erunt hi præterea ſomnolenti, propter cerebri humiditatem nimiam, & minimum ingenioſi; quia in tenuitate, ſiccitate & calore ſanguinis ingenij efficacia eſt.

χώρη ψίλη τε καί.] Hæ duæ dictiones, *ἀνώχυρος καὶ τρηχεῖα* non habentur in Galeni codicibus, tamen huic loco conueniunt. Sed notandum eſt ab omnibus interpretibus malè reddi *ἀνώχυρον*, natura munitum, cum potius verti debeat *natura non munitum.* Sic enim Plutarch. iſta tria coniunxit *ἀνώχυρα, ἄκλειστα καὶ καθ' ἅπαν*, .i. *non munita, non clauſa, ſed omnibus obuia*: & cum omnis locus muniatur, vel montis oppoſitu, vel ſyluæ, vel fluminis interiectu, vel maris, vel etiam portu: hic Hippocrates appellat regionem non munitam, quæ his omnibus caret. Atque id declarat dictio præcedens *ψιλή*. Nam, vt notat Galenus *cap. 5. lib. 2. temper.* terra nuda eſt & deſtituta plantis, quæ vel impensè eſt humida, vel ſummè ſicca. Humidam hic intelligere non poſſumus, cum dicat huius regionis aquas eſſe profundiſſimas.

ἀπαῦτα δέ.] Hi homines quia ſunt in regione ſicca, idcirco ſicci ſint oportet, & proinde duri atque robuſti. Cum autem, teſte Galeno *cap. 1. lib. de oſſib διάρθρωσις* ſit id genus articulationis, cuius eſt euidens motus, hoc loco appellat homines *διηρθρωμένους*, eos qui propter benè conformatam articulationem expeditè mouentur, & his opponuntur teſte Budæo *ἀδιάρθρωτοι* Et cum Galeno *cap. 1. lib. 1. de mot. muſc.* muſculi *ἀπονεύρωσις* dicatur tendo & neruus: tendo quidem à verbo *τείνω*, id eſt, *extendo*; neruus autem à verbo *νεύω*, id eſt, *flecto* propter extendendi & flectendi nerui actiones duas: idcirco hic homines appellantur *ἔντονοι*, qui muſculorum actiones expeditas habent, quod arguit ſpinalis medullæ & cerebri ſiccam & conſtipatã naturam. Homines conſiderantur hirſuti duobus modis, teſte Gal *cap. 6. lib. 2. temper.* vel ſolo pectore, vel toto corpore: & vtrumque contingit propter corporis multam caliditatem, cum moderata ſiccitate coniunctam: proindeque huiuſmodi homines ſunt animoſi & prudentes. Hęc autem omnis corporis habitudo facit, vt ſint *ἐργατικοί*, & propter bilioſum humorem, ſiccitatemque multam vigiles, vt notat Gal. *cap. vlt. lib. 1. de ſympt. cauſ.* Et erunt ad artes propenſi, quia calidum cerebrum promptiſſimè res apprehendit, ſiccum autem res animo comprehenſas diutiſſimè conſeruat.

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC OPERE

continentur.

A

L

M

FINIS.

ERRATA.

PAg. 2. lin. 3. quos. pag. 23. lin. vlt. arteriis. pag. 33. lin. 25. fieri. p. 42. lin. 34. qui. pag. 57. lin. 21. calor. p. 17. lin. 18. notum. p. 108. lin. 29. linum crudum intromittit. p. 116. lin. 4. λίμνης. 103. lin. 29. καρηβάρειαι, id est, capitis grauitatem. pag. 118. lin. 2. & 3. *dele,* quam tamen. p. 123. lin. 4. *dele quod superfluè repetitum est.* 148. lin. 6. quem coitus non subducit.

Y